



DE
PROBATIONE
PER TESTES ET PRAESVM-
TIONES ITEMQVE IVRAMENTO
IVDICIALI ET NECESSARIO IN PRO-
CESSV EXECUTIVO LOCVM
HABENTE 1823, 6^a
AVSPICE TRIVNO 72.
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO 1822.
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DN. VVILHELMO HENRICO
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE AC MONTIVM
ANGARIAE WESTPHALIAEQVE CETERA
ILLVSTRIS IVRIDICI ORDINIS CONSENSV
DV CTV
DN. IO. CHRISTIANI SCHROETERI
IN ACADEMIA JENENSI ANTECESSORIS ATQVE CVRIAEB PROVIN-
CIALIS FACVLTATIS IVRIDICAE ET SCABINATVS
ADSESSORIS GRAVISSIMI
PATRONI SVMME COLENDI
PRO LICENTIA
SVMMOS IN IVRE HONORES OBTINENDI
IN AUDITORIO IVRIDICO
PVBLICE DISPVTABIT
VVILHELMVS RVDOLPHVS SCHVLTHES
AVCTOR ET RESPONDENS.

AD DIEM III NOVEMBRIS MDCCXXIII HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVENTIS.
JENAE LITTERIS VVERtherianis.

PROBATIONE
PER TESTIMONIA
LIONIS HERCULANEI
AUDITIONI ET HERCULES IN PRO.
CEREA HERCULES LOCUTUS
HAT
VASTICE TRIBUNO
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
DU AURELIO HENRICO
PRO CLEMENIA
SVMOS IN IAV. TESTIMONIIS
LA MOZIO HERCULES
LITHEMAS RADOLPHUS SCHALTUS

*SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO*

**DOMINO
FRIDERICO
DVCI SAXONIAE**

**IVLIAE CLIVIAE ET MONTIVM
NEC NON ANGARIAE ET VVESTPHALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE MARCHIONI MISNIAE COMITI PRINCIPI HENNEBERGIAE COMITI MARCAE ET RAVENSBERGAE DYNASTAE RAVENSTEINII ET TONNAE RELIQVA**

**DOMINO MEO LONGE
CLEMENTISSIMO**

D. D. D.



GERENISSIMO PRINCIPI
DOMINO
ERIDERIC
DAGI SAXONIÆ
IATVE CLAVIE ET MONIA
NEC NON VNGARIA ET VAESTIA
VIVÆ LANDGRAVIO THURINGIE MAR
CHIONI MUNIVE COMITI PRINCIP
HENNEBERGIE COMITI WARCAB
ET RUENSBERGIE DINTZTBURG
VANSTENI ET JONNAE
RENDAY

DOMINO NEMO LONGE
CLEMENTISSIMO

— D D —

677
SERENISSIME PRINCEPS,

DOMINE CLEMENTISSIME,



MORTALIVM plerisque, quibus a
benignissimo NVMINE ingens il-
lad, in vita ciuili et nasci, et educa-
ri, obtigit beneficium, ingenitum
quasi, et, nisi omnem proflus exu-
erint humanitatem, infixum haeret
desiderium, sub eiusmodi PRINCIPIS imperio viuen-
di, qui iustitiae et aequitatis regulas non obseruandas
solum inbet, sed et ipse obseruat, cuiusque suorum
commodis ita inseruit, ut beneficium coeli lumen, so-
lem

Iem nempe, in suis terris imitetur, et incrementa impertiat omnibus. Neminem enim fugit, quanta incommoda circumuallant eos, qui, tyrannorum cupiditatibus expositi, minaces vultus horrescunt, trepidisque exspectant animis, num mala sint subeunda in posterum, quae calamitates iam acceptas gravitate superant longissime. Ast e contrario constat inter omnes, eos, qui sub regimine ut legitimi, ita et pii, iusti, ac sapientis PRINCIPIS, munere defunguntur suo, procul ab omni tristi metu remotos, perfrui libertate, quae est anima vitae, tranquillitate, quae est fundamentum felicitatis humanae, omnibusque beneficiis, quae PRINCIPI-BVS conseruanda, subditisque percipienda a DEO sunt data, atque concessa. Quam ob rem non est mirandum, PRINCEPS SERENISSIME, non TE solum omnium convertere in TE oculos, sed TVA clementia, sapientia, et iustitia innumeros allicere animos, bonis praesertim litteris inbutos, ut cateruatim ad TVI regiminis sedem Gotham confluant, quo propius TV-AM sapientiam, iustitiamque aspicere, et admirari queant. Hinc sit, ut hi uno ore omnes, inter quos et ego nomen profiteor meum, dum veniunt, et vident ipsi, fateantur, TE sapientia, bonitate, et iustitia longissime superare famam illam, quam absentes audiuerunt.

Bunt. Exclamant propter ea mecum: FRIDERICVS in-
ter reliquos, quibus GERMANIA superbit, optimos re-
rum arbitros caput extollit, quantum lenata solent inter
viburna cupressi, et non iure haereditatis solum inter
homines habet hoc fastigium, sed dignus censeretur, qui
aliis imperaret, etiam si per generis conditionem ad im-
perandum natus non esset. Virtutes singulares, ac pla-
ne heroicas non commemorabo, partim, quia iis pro
merito exprimendis vires hanc sufficiunt triae, partim,
quia SERENISSIMVS PRINCEPS magis laudabi-
libus actionibus, quam ipsa laude delectatur. Eam
ob causam tacito libentius pectore TE extollo, extol-
lamque in posterum, quando sub TVO felicissimo re-
gimine Gothae quotidie mihi exempla TVAE sapien-
tiae, iustitiaeque ante oculos versabuntur. Parens me-
us, per quinquaginta annos fidem suam ERNESTO
GLORIOSISSIMO, SAPIENTISSIMO FRIDE-
RICO PRIMO, et TVAE SERENITATI in-
corruptam seruando, mihi aperuit viam, ut maiori fi-
ducia, deuotissima tamen mente, VMBRAS FRIDE-
RICIANAS quaerere potuerim, et sub iis latere adhuc
possim. Quemadmodum vero hoc ipsum TVA SERE-
NITAS mihi clementissime concedit; ita non possum
non, quia obsequii mei, venerationisque, qua TAN-
TI

TI PRINCIPIS virtutes humillime persequor, quod-
dam specimen animo exhibeam deuotissimo. Oppor-
tunam ad id exequendum occasionem mihi obtulit
praesens haecce dissertatio mea inauguralis, quam ut
accipias, PRINCEPS SERENISSIME, et TIBI
dedicatam, consecratamque fronte clementissima aspi-
cere digneris, demississimo animi cultu obsecro. DEVS
TER OPTIMVS, TERQUE MAXIMVS TE
PRINCEPS SERENISSIME diu sospitet, atque con-
seruet, ut per multum tempus sis imperantibus DECVS,
patriae PATER, singulisque bonis PRAESIDIVM,
REFVGIVMQVE.

SERENISSIMO NOMINI TWO
DOMINE CLEMENTISSIME

IENAE
IPSIS CALENDIS NOVEMBRI
CICLOCCXXIII.

VVILHELMVS RVDOLPHVS SCHVLTHES.



I. N. I.

DISSERTATIONIS IN AVGVRALIS CAPVT PRIMVM.

CONSPECTVS.

- Commendatitiae argumenti decla-* Significatus latior, & strictior,
ratio, §. I. §. IV.
Etymologia probationis, & pae- Definitio, §. V.
samtionis, §. II. Divisio denique, & capitum reli-
Synonymia vocis probationis, §. III. quorum ordo, §. VI.

§. I.

VAE circa probationem praesumptionemque le-
 gum cultori obseruanda veniunt, inter iuris
 doctrinas maximi momenti, & usus in foro
 frequentissimi esse referenda, nemo facile insi-
 ciabitur. Evidentes enim firmaeque proba-
 tiones, quae luce sua radiant, praesumptionesque bonae, quae
 in veritate fundantur, & caussarum rite constituendarum, &
 celeriter vincendarum praesentissima merito vocari queunt
remedia. Quam ob rem, cum rerum mearum ratio differ-
 entiam inaugurem scribendam milhi imposuerit, hoc ar-
 gumentum plane utilissimum tractandum in me suscepi, actu-
 A
 rus.

rus videlicet DE PROBATIONE PER TESTES ET PRAESVMTIONES, ITEMQUE IVRAMENTO IVDICIALI ET NECESSARIO IN PROCESSV EXECVTIVO LOCVM HABENTE; quae omnia sic comparata sunt, vt haud raro exinde difficultates controuersiaeque nascantur. Conatibus nostris propterea vt faueat DEVS, oramus, nosque ad propositum nostrum conuertimus.

§. II.

ANTE omnia autem de origine, & deriuatione duarum vocum *probationis* & *praesumptionis*, quae in huius dissertationis titulo occurruunt, sumus solliciti, priusquam ad rem ipsam pergamus. Quod itaque ad vocem *probationis* attinet, deriuatur illa a verbo *probare*, id est, ostendere, & euincere, vt aliquid hoc vel illo modo habeatur; seu ab adverbio *probe*, quia, qui probat, probe facit, vt vult NICOL. DE LESCUT. tract. de exam. test. cap. 2. n. 9. & idem est, ac propalatio, vel rei dubiae manifestatio. Altera vero vox, *praesumptionis* nempe, originem trahit a praepositione *prae*, & verbo *sumere*. VIGEL. method. iur. controuers. lib. II. c. 10. reg. 1. & quidem ex hac ratione, quia vna opinio prae altera capit, ac praefertur. Plura de vocum, in limine dissertationis obuiarum, origine & deriuatione addere, non opus esse existimo, ne diffusa nimis nominum etiolutio tractationi ipsi praejudicet; cupidum tamen lectorem ablegans ad MATTHIAE COLERI tractatum de processu executivo, ubi praecipua huc pertinentia enodata in *præfatione* enodauit.

§. III.

DIVERSIMODE autem *probationis* notio in iure exprimitur, exempli causa per *implectionem*, L. I. Cod. de probat. *significationem*, L. VI. cod. *instrumentum*, L. XII. C. cod. *detinatio-*

nem

nem, L. XIV. eod. *argumentum, documentum, veritatem negotii, demonstrationem, reliqua.* ALTHVS. *in dicteolog. L. III. c. 27. n. 1.* Hinc vox *probatio*, beveis, in causis sumariis indigitat demonstrationem, bescheinigung, oder summarische beybringung Dn. VVERNHER, p. I. obs. sel. 126, n. 24.

§. IV.

SVMITVR porro vocabulum *probationis* vel *late*, vel *strictae*. Probatio in stricta significatione denotat modum probandi per testes, vel instrumenta. C. *forus. X. de verbis. signif.* Late autem sumitur pro confirmatione nostrae intentionis per argumenta legitima, eum in finem, vt de veritate rei controversae iudici constet. L. *XLVII. ff. de haeredit. petit. L. XII. & XIX. ff. de probat. L. III. §. 2. ff. de testib. L. II. C. quorum appellat. non recip.* STRAVCH. *Iuris Iustinian. diff. XXV. §. 8.*

§. V.

HISCE praemissis, ad definitionem realem nunc nos conuertimus, aut potius descriptionem, nimirum quod PROBATIO sit *actus judicialis, quo litigantes iudici de quaestione controversa, velre dubia argumentis legitimis fidem faciunt. L. XII. in fin. de probat.* GEORG. BAYER *ad ff. de probat. posse. I. SVENDEND. ad Fibig. p. m. 527. §. 15. & incumbit affirmanti, nisi negativa sit iuris, notoria, ac neganti obstat prae sumptio iuris. STRYCK. introd. ad pr. c. XVII. §. 2. & q. L. V. XV. XVI, & XXI. ff. de probat.*

§. VI.

DISPESCITVR autem *probatio* in directam vel inartificialem, quae fit per argumenta inartificialia extrinsecus adsumpta, veluti per testes, instrumenta, aduersarii confessionem, atque ocularem inspectionem: & in artificialem obliquam, sive indirectam, quae fit ex *prae sumptionibus, & coniecturis,*

A 2

STRYCK.

STRYCK. ad Lauierb. pag. 422. verb. artificial. GEORG. BAYER ad ff. de probat. posit. 4. segg. Nos de vtraque acturi sumus, quatenus illis locus est in processu executivo, & quidem capite secundo, de probatione per testes: tertio, per praesumtiones: & quarto denique de admissione iuramenti iudicialis, & necessarii in hoc processu.

CAPVT SECUNDVM DE PROBATIONE PER TESTES IN PROCESSV EXECVTIVO.

CONSPECTVS.

Transitus ad explicationem testium,	Exceptionum casius primus, §. IV.
quid, & quotuplices sint, §. I.	Casus secundus, §. V.
Processus executini descriptio & re-	Casus tertius, §. VI.
quisita, §. II.	Quartus, facta diffessione, §. VII.
Regula doctorum Saxoniae de non	& VIII.
admittendis testibus in processu	An rotuli admittantur? §. IX. & X.
executivo, eiusque exceptiones,	An recognitio per testes obtineat?
§. III.	§. XI.

§. I.

QVAE de probatione dicenda existimauit, satis explanata arbitror capite superiore. Sequitur, ut haec nunc persequar, quae pertinent ad explicationem testium, & processus executivai. TESTES nomen acceperunt a testando, L. XXII. ff. de testib. & variis insigniis solent nominibus. Sic antiquitus nominabantur SVPERSTITES, quasi qui superfunt negotiis, quae geruntur inter alios praeſentes, fidei facienda cauſa. PEREZ. ad Cod. de testib. n. i. vocantur quoque ADVOCATI, Colleg. Argentorat. de testib. ANTI-STITES,

STITES, c. X. x. de verb. signif. eorumque dicta audiunt depositiones, testimonia, attestations, attestata, cetera. Est autem *testis persona in testimonio perhibendo fidem de negotio, vel re controuera faciens.* PEREZ. dicto loco. BAYER ad ff. de probat. posit. I. *Testes sunt vel iudiciales, qui nempe super re iudicialiter controuera deponunt; vel extra-iudiciales, qui in testamentis, & instrumentis testimonium perhibent.*

§. II.

PROCESSVS EXECUTIVVS vero est processus summarius, quo ex instrumento liquido & gvarenigato, quid, quale & quantum in se continente, ad executionem subito faciendam proceditur. SVENDEND. ad Fibig. cap. 2. p. m. 10. & regulariter in negotiis unilateralibus obtinet. LVDOVICI in civil. Proc. c. III. §. 2. n. 5. seqq. In negotiis bilateralibus contra conceditur, quando actor implementum contractus ex sua parte demonstrat. Dn. VVILDVOGEL, conf. 130. n. 3. VVERNHER, obs. 149. Requisita processus executui instituendi habet LUDOVICI, d. l. §. 12.

*Ex auditio
processus secundum in
negotio's unilateraliter
obtinet.*

§. III.

Quod igitur *testes*, de quibus paragrapho primo diximus, in processu executivo, thesi antecedente descripto, sint admissibiles, & quod iis probari possit, negant secundum sanctiones pragmaticas plerumque DOCTORES in Saxonia, ubi nec actor, neque reus auditur, quando intentionem suam per testes docere & probare velint. CARPZ. in proc. tit. XXII. art. 4. n. 32. & MATTH. COLER, de proc. exec. p. 4. c. 2. n. 23. Sed demonstratio fieri debet per productionem instrumentorum, acta iudicialia, & confessionem aduersarii. Gothaische process-Ordnung, p. 2. c. 2. §. 1. CARPZ. in proc. dict. loc. n. 14. STRYCK. in diff. de alt. indag. cap. V. §. 3. Verum enim

enimuero, his non obstantibus, dantur tamen casus, in quibus probatio per testes locum inuenit, & valet, prout videre est ex allegata iam iam a nobis ordinatione processus Gothana, § V. ex verbis: Affer denen bekanten special-Fällen, cetera. Quinam vero hi casus excepti sint, nunc paullo distinctius explicabo.

§. IV.

PRIMVS nempe *casus*, qui huc a DOCTORIBVS referatur, datur in exceptionibus dilatoriis, negatiuis & anomaliis, merita caussae concernentibus, & quae etiam post litem contestatam & factam recognitionem opponi possunt. STRYCK. *introdub. ad prax. c. IX. §. 3.* vbi probatio obtinet, quae proprium est exceptionum dilatoriarum. SUENDEND. *ad Fibig. p. m. 373. & 376.* quoniam non ingrediuntur substantiam processus executivi, sed ei solum viam parant. Negatiuae autem exceptiones sunt, vbi onus probandi negatiuam irregulariter non neganti, sed adfirmanti incumbit: quo spectat probatio aditionis & immixtionis haereditatis, in quibus in processu executivo locus est probationi per testes. BERGER. *in elect. proc. exec. §. 36. & 44.* BARTH. *in diff. de comminat. sub poen. confess. cap. I. §. 4.* Huc quoque pertinet probatio existentis conditionis, vel aduentus diei incerti in instrumento adieci, non adimpleti contractus, non numeratae pecuniae, excusationis, senatus-censulti Macedoniani, reliqua. In quibus etiam testes admittuntur, & causa principalis suspenditur, usque dum causa minus principalis sit decisa. BERGER. *dict. loc. VVERNHER. p. 1. obs. 149. n. 2. seqq.* CARPZ. *lib. 3. Resp. 63. n. 21.* SVENDEND. *ad Fibig. p. m. 359. & 361.* Probatio autem exceptionum negatiuarum, ut exceptionis non adimpleti contractus, vel non soluti pretii, aut mercis non traditae, cetera, ita fieri debet, ut actor contractui, quoad substantialia, non

non accidentalia, satisfactum esse, docere teneatur. FREDERICI *nucl. proc. c. 12. p. 3. n. 14.* CARPZ. *lib. 2. Resp. 88. n. 17. seqq.*

§. V.

SECUNDVS casus est de peremptoriis, exempli causa de exceptione solutionis, alisque altiorem indaginem habentibus, & quae iuxta opinionem RAVCHBARI *part. 2. quaest. 25. n. 106.* per modum ordinariae probationis probari queunt. Imo sufficere ait, si intra terminum probatorium articuli, ac litterariorum documentorum copiae iudici exhibeantur, dummodo nimia eius, qui probare debuit, negligenter non arguatur, sed CARPZOIVS *Lib. 2. Resp. 2. n. 23. seqq.* non nisi certa ratione hanc opinionem admittit, quando 1.) pronuntiat: dependere ab arbitrio iudicis, illum posse concedere probationem per testes, si iusta & vrgens causa adsit, v. gr. si reus esset miserabilis persona, vel si documenta sint igne combusta, aut hostium depraeatione amissa. CARPZ. *Proc. Tit. 22. art. ult. n. 37.* 2.) absoluendam esse probationem intra terminum executioni praefixum, puta sex septimanas, & tres dies. CARP. *dicit. loc. n. 39.* STRUV. *Iurispr. Rom. Germ. L. 4. tit. 19. §. 6.* HARTM. *Pistor. p. 4. quaest. 13. n. 12.* Et 28. COLER. *de proc. exec. part. 4. c. 2. n. 19.* 3.) requiri, ut ea non accedant, quae alias in processu ordinario desiderantur, sed Testes producantur summariter, absque articulis ordinariis, interrogatoriis, alisque solennitatibus ad processum ordinarium pertinentibus. CARPZ. & STRUV. *cit. loc. BERLICH. p. 1. concil. 84. n. 83.* Hinc monendum est, ut caueat Producens in libello exhibitionis articulorum aduersarium adci- tari, ne detur occasio porrigendi interrogatoria, quibus non est locus in processu summario: quod per consequens etiam ita se habet in executio. Dn. BERGER. *in Elect. proc. exec. §. 4.*

§. VI. TER.

§. VI.

TERTIO quoque admittitur probatio & reprobatio per testes, quando processus executiuus sapit naturam ordinarii: quibus autem casibus hic praesumitur, vide infra cap. 3. §. 18. Ita quoque in processu summario executivo conceditur, si haec actio circumducatur & lis, consentiente vel tacente Actore, negatiu contestetur, tunc enim, probatione facta, reus ad reprobationem etiam est admittendus. NICOLAI in proc. p. 1. c. 63. §. 12. n. 3.

§. VII.

An
Producuntur ~~integrum~~ ^{re}grum sit, in processu executivo falsoitatem diffessionis, vel persit in processu ~~de~~ iurium commissum per testes docere? Quibus negatiua placuit ~~o~~ falsidate ^{et} placuit, ab his adducitur, hanc probationem ex his rationibus non diffessionis, vel per ^liurum ^commissum ^proterius docere.
Affirmatur.

NVNC quaeritur, an, facta diffessione, Producenti inter-
venient ~~integrum~~ ^{re}grum sit, in processu executivo falsoitatem diffessionis, vel persit in processu ~~de~~ iurium commissum per testes docere? Quibus negatiua placuit ~~o~~ falsidate ^{et} placuit, ab his adducitur, hanc probationem ex his rationibus non diffessionis, vel per ^liurum ^commissum ^proterius docere.
Affirmatur.

MARTINI ad O. P. S. Tit. 24. §. 4. n. 7. partim, quia productus praesumptionem iuris, delictum excludentem pro se habet L. 51. ff. de donat. inter Vir. & Vx. L. 51. ff. pro ^{socio}. partim, quia hocce iuramentum appellantur iudiciale, cui tribuitur vis rei iudicatae, & transactionis, nec ob contraria probations, ne quidem in alio iudicio, vel noua instituta actione, etiam detecto periurio, ex documentis nouiter reperitis retractari potest, ita, vt super praestito iuramento sententia lata, neque appellatio, neque leuteratio concedatur, sed nihil amplius quaeratur: an iuratum sit? non vero, an recte, an peieratum sit? L. 1. & 2. ff. de iure iur. CARPZ. lib. 3. Resp. 40. n. 4. & lib. 6. Resp. 4. n. 11. SVENDEND. ad Fibig. p. m. 1324. n. 621. MARTINI ad O. P. S. tit. 18. §. 10. n. 77. seqq. Sed, his non obstantibus, probatio periurii locum habet, hocce tamen non potest per testes doceri. BERLICH p. 1. concl. 35. n. 9. bene tamen per instrumenta, ex quibus in continentia periurium manifestum & clarum apparent: item probatur

679 (5)

batur ex confessione producti, perurium post praesitum iuramentum confitentis. *L. fin. C. de rebus Credit.* MARTINI d. l. n. 84. SVENDEND. ad Fibig. p. m. 1336. Alii vero aliter sentiunt, & hanc aliter euenire putant, conceduntque probationem periurii, falsaque diffensionis per testes, quia hoc iuramentum non Pars & producens instrumentum, sed lex detulit. BERLICH p. I. concl. 34. n. 55. BRVNREM. in proc. civ. c. 6. n. 36. hinc processus executiuus in ordinarium conuertitur, MEV. p. 3. dec. 173. n. 9. & p. 6. dec. 278. n. 4. BERLICH. p. I. concl. 44. n. 55. pronunciatur itaque contra actorem producentem: *Dieweil Beklagter die producirte Obligation vermittelst Eydes difficiet, so wird Er nunmehr von Klägers Zusprüchen entbunden und losgezehlet.* MARTINI d. l. tit. 25. §. 2. n. 140. si autem actor vel reus probationem periurii sibi reseruauerit, in sententia super diffensione iurata lata, quoad actorem adiiciendum puto: *Es wolte denn Kläger, daß Beklagter falsch geschworen, erweisen, darwieder wird Beklagten sein Gegenbeweis, Eydes-Delation und andere Rechtliche Nothdurft vorbehalten.* Contra reum vero documentum producentem, facta diffensione, Sententia ita concipitur: *Dieweil Kläger die Quittung fol. eydlich difficiet, so ist Beklagter Klägern die libellirte Post &c. abzutragen schuldig.* SVENDEND. ad Fibig. p. m. 726. huic autem sententiae potest annexi: *Es könnte und wolte denn Beklagter binnen Sächs. Frist beybringen und bescheinigen, daß Kläger die producirte Quittung fälschlich difficiet; Hierauf ergehet ferner was recht ist.*

§. VIII.

Ex hac tenus deductis facile patet, actorem suspensa causa principali executiva, posse agere, & probare perurium per testes, non vero reum, cui tantummodo demonstratio re-

B

linqui-

linquitur, quae si non sufficiat, remittitur ad separatum iudicium ordinarium, & executio contra reum decernitur. Mihi itaque inquirenti, quaenam sit tam differentis inaequalis sententiae inter actorem & reum ratio? hanc inueni: in favorem actoris, non rei introductus est processus executiuus, a quo recedere maxime potest. SVENDEND. *ad Fibig.* p. 1155. n. 558. alias vero compertum & exploratum habeo, actorem & reum, quoad probationes, iudicari ad paria, ita, ut nihil plus fauere debeat Reo, quam Actori: COLER. *de proc. exec.* p. 4. c. 2. n. 26. BERLICH. p. 1. c. 84. n. 81. & absque libelli editione, litis contestatione, aliisque solennibus ad probationem per testes perueniri non possit. BERLICH. d. l. per pronam consequentiam itaque sequitur, probationem actoris ordinariam esse contra naturam processus executui, irregularem & pendere solum ab arbitrio iudicis; hinc etiam talem, quoad Reum, Iudicii in admittendis exceptionibus altioris indaginis per testes, & ita etiam per iurii, concedunt potestatem, modo intra terminum Saxonum, & quidem tali modo, prout §. VI. mentionem fecimus, absolvi possit.

§. IX.

NvNC id nobis negotii credimus dari, vt videamus, articuli Notariorum ad probandam exceptionem in processu executiuo valeant, nec ne? & negatiua a quibusdam legum DOCTORIBVS defendit. NAEVIVS *de iurament.* p. 3. c. 8. §. 7. VVERNHER *part. 3. obf.* 198. HORN. *Resp.* pag. 823. BERGER *in electis proc. exec.* §. 38. quoniam absque ordine iudicario, e.g. litis contestatione &c. ad probationes per testes non possit perueniri. MATTH. COLER. *de pr. exec.* p. 4. c. 2. n. 26. & impossibile sit, intra Terminum Saxonum probationem per testes cum omnibus requisitis absoluere. LVDOVICI *in civ. proc. c. 3. §. 19.* & si possibile, tamen habendum esse pro irr.

irregulari & contra naturam processus executiu Dn. VVERN-
HER p. 3. obs. 198. hinc rotulus a Notario confectus non ha-
betur pro documento guarentigato, & probatio per rotulos
nullo ferme in processu obtinet, nisi in possessorio summa-
riissimo, NAEVIVS cit. loc. Hinc Facultas VVitebergensis
ita pronunciauit: *Dass ein Rotulus Notarii so wenig in pro-*
cessu executiuo, als ordinario passiren möge, als welcher pro
instrumento guarentigato nicht zu achten; Dannenbergo
des allegirsen Carpzouii und Naeuui Doctrin: Testes coram
Notario, aut alio iudice examinatos, & instrumentum desuper
confectum ad probandas exceptiones in processu executiuo *Rotulus ferme*
admitti, der Natur des processus executiu schnurstracks *in nullo pro-*
zuvieder lausse; zu geschweigen, dass eines Notarii Rotulus *cepsu suam*
hodiernis moribus fast in keinem processu mehr, als in pos- *in Prolegorio*
sessorio summarissimo pfleget attendiret zu werden; hinc *summarissimo*
statuunt DOCTORES, qui in negatiuam abeunt partem, er- *calidu[m] valet.*
rare Advocatos, rotulos ad recognoscendum producentes, er- *Notariorum*
rareque iudices, recognitionem sententionando iniungentes, *Rotulus non s[ic]*
sed exceptiones per rotulum probatas esse, vel ad reconuentio- *recognoscibilis*
nem, vel ad separatum iudicium reificandas. VVERNHER
p. 3. Obs. 198. n. 3. § 4. BERGER in Elect. pr. exec. §. 38.

§. X.

AFFIRMATIVAM vero non sine generatione tuetur SCHILTER
ad ff. exerc. 35. §. 17. BERLICH. p. 1. concl. 84. n. 82. seqq.
CARPZ. p. 1. c. 8. desin. 29. seqq. HARTM. PISTOR. p. 4.
qu. 13. n. 28. & habetur a DOCTORIBVS pro opinio- *Testes*
ne communi & veriori, HIERON. DE CAEVALLOS *in processu*
exhibiti uero *modo ad metu*
spec. aur. opin. com. contr. comp. q. 594. IASON. in L. bona
fidei no. 29. Instit. de action. & quidem, quia appellatione
instrumenti etiam testes continentur c. peruenit X. de Testib.
testesque summariter absque articulis ordinariis, interroga-
toriis, aliisque solennitatibus ad processum ordinarium perti-
nentibus

nentibus examinari queunt, BERGER cit. loc. §. 4. BERLICH
dičt. loc. n. 83. STRUV. Iurispr. Rom. Germ. L. 4. tit. 18. §. 6.
& ita sit probatio in continentia. Fauor in iure non est exiguis
pro liberatione Rei, iusta & urgens causa ita adest, hinc
maxime Iudicem concedere non solum, sed etiam Rotulum,
qui inter documenta publica refertur. LAVTERBACH. ad ff.
tit. de fide instrum. L. 25. C. de fide instr. admittere ac recon-
gnitionem producto imponere, ratio aequitatis exigit. Sva-
dendum tamen est, vt rotulus conficiatur ab Actuario Iudicis,
praevia Iudicis commissione, coram quo ad minimum duo
testes super exceptione deponunt. Nam unius depositio hoc
in casu non sufficit: & postea requiritur, vt integer exhibeat
ad minimum in termino executionis; hisce existentibus ro-
tulus, vt aliud instrumentum aut recognoscendum, aut iurato
diffitendum. MARTINI ad O. P. S. 1. 39. §. 2. n. 99. seqq.
SCHILTER ad ff. exerc. 13. §. 18. CARPZ. p. 1. cons. 8. def. 30.

§. XI.

*Recognitio
per testes in ordinariu-
m in processu execu-
tivo locum habet.*

NVNC ultimo queritur, an recognitio per testes in pro-
cessu executivo locum habeat nec ne? negativa ferme ab
omnibus defenditur Doctoribus, & quidem quia processus
executivus commutaretur in ordinarium. SVENDEND. ad
Fibig. p. m. 739. n. 362. Dn. LVDOVICI in civ. Proc. c. 3. §. 33.
sed quia ex praemissis sufficienter patet, Iudicem ex iusta causa
probationem per testes in executivo processu concedere posse,
nam hoc in casu Iudicis prudentis arbitrium non penitus esse
exclusum, ex obseruantia aulae Electoralis Saxonicae docet
CARZOV. tit. 22. art. vti. n. 38. probationem pro euitando
periurio & scandalo inter iustas causas esse referendam, nemo
negabit; multa enim, scandali & ita etiam periurii euitandi
causa, contra rationem iuris sunt permissa. CARPZOV. L. 3.
Decis. 115. n. 10. hinc aequitas rigori iuris est praeferenda & si
rigor

6.19

13 (58)

rigor iuris cum aequitate contendat, hanc stricto iuri praeferti debere, asserit MARTINI cum allegatis DOCTORIBVS O.P.S. tit. 34. §. 1, n. 75. seqq. nam iuris regula quidem est certa acquiratis vero infinita: RICHTER p. 2. decis. 74. n. 34.

egoque credo, recognitionem per testes esse de his casibus non expressis, vbi testes in processu executiuo admittuntur, de quibus ordinatio processus Gotha n. p. 2. c. 2. §. 5. mentionem fecit per verba: außer denen bekanten special-Gällen &c. & hoc confirmat dicta ordinatio processus part. 1. c. 10. §. 29. vbi contra diffessionem iuratam recognitio per testes permissa est, quod in tantum procedit, vt, non obstante re iudicata, producens etiam in processu executiuo testes ad recognoscendum offerre possit. Dn. VVERNHER p. 1. obs. 104. n. 7. & 8. BERLICH p. 1. concl. 44. n. 49. Dissidentes vero distinguunt: concedunt recognitionem in ordinario, non executiuo processu, quia vt hic articuli, interrogatoria, aliaque requisita processus ordinarii adsint; necesse est. Sed respondeatur, quia lex & ordinatio processus allegata non distinguit, & recognitionem per testes in processu executiuo non excludit, nec nostrum est distinguere: hinc illam ex iusta causa ob scandalum perjuriumque evitandum Iudex concedere posse, extra omnem dubitationis aleam est positum, prout pronuntiaverunt appellationum Senatus Saxonius Electoralis, & incliti ICTI Ienenses. VVERNHER cit. loc. Iudex etiam ordinariam probationem in demonstrationem commutare potest. CARPZ lib. 3. Resp. 75. n. 2. & hoc in casu non est necesse, admittere interrogatoria aliaque ad processum ordinarium pertinentia. Dn. BERGER in Elect. pr. exec. §. 4. quod etiam extra controversiam ponitur, quando recognitioni in documento, a duobus testibus subscripto, renuntiatum est: hinc facta testimoniū recognitione iurata executio decernitur. L. g. C. de Testibus. SVENDEND, ad Fibig. p. m. 714. seqq. DANIEL MOLLER

B 3

lib. 4.

lib. 4. semestr. c. 43. MARTINI ad O. P. S. tit. 25. §. 2. n. 56. &c
haec de hac materia sufficient.

CAPUT TERTIVM
DE
PROBATIONE PER PRAESUM-
TIONS IN PROCESSV
EXECVTIVO.

CONSPECTVS.

- Varia significatio vocis praesum-*
tionis, §. I.
- Descriptio, §. II.*
- Diviso, & descriptio praesumtio-*
nis iuris & de iure, iuris ac ho-
minis, §. III.
- Praesumptiones regulariter non ob-*
tinent in processu executiva, §. IV.
- Limitatur in praesumptionibus iuris*
& de iure, item iuris, §. V.
- Casus primus, praesumitur re-*
nuntiatio exceptionum dilato-
riarum, §. VI.
- 2) *Praesumitur renuntiatio ex-*
ceptionis incompetentiae, & fori
declinatoriae, §. VII.
- Item 3) *inabilitas & minorenni-*
tas, §. VIII.
- 4) *Remissio cautionis pro reconvenio-*
uentione & expensis, §. IX.
- 5) *Conumacia, & non accusata*
censetur remissa & terminus pro
circumducto habetur, §. X.
- 6) *Praesumitur contumacia in se-*
cunda instantia, vbi simul opini-
ones Collegiorum referuntur,
§. XI.
- 7) *Quando commutatio processus*
executivi in ordinarium praesu-
mitur, §. XII.
- Continuatio huius materiae, §§. XIII.*
& XIV.
- 8) *Praesumitur instrumentum per*
producenem approbatum, §. XV.
- Sors & causa debendi 9) certis in*
casibus praesumuntur, §. XVI.
- Item 10) *exceptiones negatiue ve-*
rae ac omnis probandi contrarium
in aduersarium transferunt,
§. XVII.
- An 11) *quis fideiubenda beneficis*
fideiussorum renuntiassē praesu-
matur? §. XVIII.
- An 12) *exceptione divisionis, §. XIX.*
- Haereditatis aditio 13) certo mo-*
do praesumitur, §. XX.
- Item

Item 14) *solutio*, §. XXI.

Delegatus consentiendo in delegatio-
nem *praesumitur* 15) *renun-*
tiaſſe exceptionibus contra dele-
gantem competenibus, §. XXII.

Praesumitur 16) *compensatio de-*
bii per legatum, §. XXIII.

17) *Remiſſio iniuriae*, §. XXIV.

Et 18) *ex Subscriptione*, facta cer-

tioratio *beneficiorum remittentia-*
torum §. XXV.

Vlima ex viito visibili habetur in-
ſtrumento pro falso, §. XXVI.

Ex viito invisibili redditur inſtru-
mentum ſuſpectum, item quibus
modis *praefumtiones hominis*
admittuntur in proceſſu *execu-*
tio, §. XXVII.

§. I.

PRAESVMTIONIS vox a ICtis variis modis sumitur, ve
1) quando lex ait: quæſtio voluntatis est, & deinde
aliquid statuit. 2) Quando usurpatur verba: *videtur*,
habetur, *intelligitur*, *creditur*, quea tamē interdum ſecun-
dum ſubſtratam materiam etiam fictionem ſignificant; Item
3) huic pertinet verbum *existimo & aeftimo*. 4) Item *coniectu-*
ra eſt, *coniecturam facimus* 5) *praefumtum eſt*, 6) *arbitror*,
7) quando dicimus: *proinde*, *forte*, *tandem* 8) *vulgo* *praef-*
umitur, ſignum, *coniectura*, *indictum* eſt, item interpre-
ratio, *probabile*, *conſentaneum*, *conueniens*, *ſufpicio & legi*
diſpoſitio eſt. MENOCH. de *praeſumt.* lib. 1. *praeſumt.* 7. ſeqq.
& *praeſumt.* 46. MASCARD. de *probat.* concl. 123. n. 39. &
lib. 1. quæſt. 14. FARINAC. de *indic.* & *tortur.* lib. 1. quæſt.
30. n. 272. s. non curritur.

§. II.

DESCRIBITVR *praeſumtio*, quod ſit *coniectura in rebus*
dubiis, ex variis argumentis ſignique per rerum circumſtantias
frequenter enidētibus collecta, quea fidem facit. MENOCH
lib. 1. *praeſumt.* 7. num. 4. MASCARD. de *probat.* Vol. 1. quæſt.
10, n. 8. cap. adſerte mihi x. de *praeſumt.* L. 137. de V. O.

§. III. Di-

§. III.

DIVIDITVR autem praesumtio 1) in praesumptionem iuris & de iure 2) iuris tantum & 3) hominis. *Praesumtio iuris & de iure est:* quae ex signis certis & necessariis a lege inducitur & pro vero habetur, vt nec probatio in contrarium admittatur: appellatur etiam necessaria, & violenta. MENOCH. *de praesumt. lib. 1. q. 3. per tot.* MASCARD. *d. l. num. 48. seqq.* *Praesumptionem iuris* autem ita describimus, quod sit coniectura probabilis, qua lex ex certo signo aliquid prae sumit, & pro vero ponit, donec probetur contrarium. MENOCH. *d. l. praesumt. 60. n. 2.* MASCARD. *d. l. q. 10. n. 34. seqq. c. 20. x. de probat. & praesumt.* *Praesumptionem hominis* vero appellant, qua a Iudice ex negotiis argumentis leibus & coniecturis remotis ac probabilibus aliquid inducitur, & inductum pro vero habetur, donec contrarium probetur CARPZOV. *in proc. tit. 13. art. 1. n. 10. L. 3. g. & 25. ff. de probat.* L. 2. §. 1. ff. *de pact.* L. 18. *de adimen. & transf. legat.* FARINAC. *Lib. 1. q. 36. num. 160. seqq.* Argumenta praesumptionum late exhibent MENOCH. MASCARDVS & ALCIATVS in tractatibus de probationibus & praesumptionibus, ad quos, breuitatis ergo, cupidum remitto lectorem.

§. IV.

REVS vero in foro Saxonico regulariter non auditur, si exceptiones oppositas in processu executio praesumptionibus & coniecturis fulciat, prout expressis differit verbis *ordinatio Processus Gotbana p. 2. c. 2. §. 5.* Oder seine exceptiones auf praesumptionen gegründet, soll ihm die Zahlung auferlegt, und Er mit solchen seinen eingewandten Exceptionen in die Reconuentio und Gegenklage verwiesen werden: & hanc legem exoptat aemulari ius saxonum electorale *const. Elect. Augusti 8. p. 1. vers.* iedoch daß dieselbigen: estque effatum

tum Doctorum Saxonicorum CARPZ. in Iurispr. for. p. 2
conf. 8. def. 16. & in proc. tit. 22. art. 4. n. 24. seqq. B. STRUV.
in Iurispr. Rom. Germ. lib. 4. tit. 19. §. ult. Dn. LUDOVICI in
proc. civ. cap. 3. §. 20. Sed his non obstantibus in aprico est, hanc
regulam habere varias limitationes, de quibus aliqua exempla
in medium proferre, nunc animus est.

§. V.

PRIMUM locum obtinent praesumtiones iuris & de iure, de quibus si constet, valide in processu executivo obiciuntur. RAVCHBAR. p. 2. quaeß. 25. n. 99. ZANGER. de except. p. 3. c. 26. n. 85. seqq. de praesumptionibus vero iuris tantum, eadem Doctorum auditur opinio; & quidem has impedit paratam executionem, modo exceptionem faciant liquidam MEV. p. 4. decis. 385. L. 24. §. 7. de fideiconamiss. libert. & L. 57. ff. de iur. dot. in fin. qua de re, ut plura addant, scopi poscit ratio.

§. VI.

PRIMO liquida & expressa renunciatio exceptionum dilatarum non existit ante liteni contestatam ex incuria non oppositarum, hinc regulariter non colligi potest renunciatio cum sit stricti iuris, que non praesumitur, c. 5. x. de renunciatio. nisi sit expressa & specialis, nam nemo se excludere creditur a beneficio, de quo non cogitauit. L. 4. §. 4. ff. sequitur caution. in indic. sib. Nihilominus tamen stricti iuris est, per litis contestacionem praesumti dilatoris exceptionibus non oppositis renunciatum. L. penult. & ult. C. de except. L. 13. C. de procurat. c. 20. x. de re iudicata. Gothaische Pr. Ordnung p. 1. r. 2. §. 5. Ord. Cam. p. 3. tit. 34. Rec. Imp. de anno 1654. §. 37. quae renunciatio ita efficax habetur, ut ne quidem reus omisfas exceptiones dilatorias per beneficium appellationis recuperare possit. STRYCK. introduct. ad prax. for. cap. 9. §. 2. sed

C

potius

potius iudex praesumit, exceptiones dilatorias post litis contestationem animo calumniandi esse oppositas. HAHN. in *difser. de proc. iud. lib. 41.* SICHARD. in *Cod. ad L. 16. de probat.* n. 7. nisi emergant demum post litem contestatam, iudicium nullum reddant, sintque exceptiones anomalae, vel contineant grauamen successuum; Plures casus annotauit NICOLAI in *Proc. Iud. p. 1. c. 3. §. 54. seqq.* quod autem iuris est in litis contestatione, id etiam locum habet in recognitione & diffessione; nam in processu executio recognitio est loco litis contestationis affirmatiuae, diffessio vero loco litis contestationis negatiuae. CARPZ. lib. 4. *Resp. 9. n. 8. & 9.* MEV. p. 6. *decis. 278. in not. n. 4.* hinc in processu executuo ante recognitio nem aut diffessionem omnes dilatoriae sunt opponendae; in Electoratu Saxonico autem reus necesse habet, omnes exceptiones, iuxta nouissimam decisionem secundam, intra tres septimanas a tempore insinuati libelli obiicere, & iudici praesentare, alias praesumitur renunciatio exceptionum quo ad processum executuum, & mittitur cum iis ad reconvencionem. SVENDEND. *ad Fibig. p. m. 1148. seqq.*

§. VII.

SECUNDÖ exceptioni incompetentiae, & fori declinatoriae, vel expresse vel tacite renunciantur. Tacita renuntiatio fit vel per contumaciam, RIVIN. *spec. except. c. 2. §. 16.* vel, si non in primo statim termino ante omnes alias dilatorias a reo praesente allegetur. *Gothaische Pr. Ordin. p. 1. c. 2. §. 5.* Constat. *Elect. 3. vers. Sie sind declinatoriae. &c.* VMMIVS in *proc. disp. 8. n. 7. L. vlt. C. de except. L. 52. pr. ff. de iudic.* & probetur. *L. 2. ff. si quis in ius voc.* MEV. p. 1. *dec. 130. & 193.* prorogatur itaque hoc modo iurisdictio, & reus videtur consentire in Iudicem incompetentem, & persona Iudicis praesumitur approbata, *c. quoniam contra X. de probat.* SVENDEND.

DEND. ad Fibig. pag. m. 301. n. 169. CARPZ. lib. 2. Resp. 9. L. 1.
C. de Iurisdictione. L. 1. & 2. ff. de iudic. Ast de contumace
 aliter sentiunt DOCTORES ante sententiam definitiuam,
 quoniam contumax non videtur consentire in Iudicem in-
 competentem, & Reus in quavis Iudicij parte poslit opponere,
 illum non esse competentem, ac haberi pro priuato, cui Iuris-
 dictio & potestas ius dicendi deest. BERLICH. *decis. 335. n. 10.*
seqq. MEV. p. 1. dec. 83. n. 9. GAIL. lib. 1. obs. 42. n. 12. L. 3. ff. de
offic. Praesid. L. 3. C. de Iurisdicit. Si autem contra contumacem
pronuntiat, se esse Iudicem competentem, tunc sententia Ius
facit, & non oppositis remediis suspensiuis, vel deuolutiuis haec
exceptio non amplius obtinet. BERLICH. cit. loc. Nam Iu-
dex incompetens habetur quidem ut priuatus, sed non aliter,
nisi exceptio a reo in Iudicio allegetur, & vel sit liquida, vel in
continenti probetur L. 5. ff. de Iudic. nam presumtio stat pro
 Iudice, hinc transferri onus probandi in exemptionem, seu fori
 praecriptionem allegantem. HEROLD. *in obs. ad proc. cap. 41.*
n. 25. seqq. Atque hactenus Iudex, quoad punctum compe-
 tentiae controversum, est competens. *clem. 1. de Rescript.*
 CARPZ. lib. 2. Resp. 10. n. 3. *seqq.* & in hac materia senten-
 tiam ferre potest. MEV. p. 1. *decis. 130.* Si nunc reus hanc ex-
 ceptionem in primo termino non opponens, amittat, multo
 magis contra contumacem, legitime citatum, statuendum esse,
 ait CARPZOIVS *dict. loc. n. 17. seqq.*

§. VIII.

Excommunicatg. Bannitg.
Minorennes non hab. 1425.
Aduocatg. vel Procurator.

PERGIMVS tertio ad exceptionem illegitimationis & in-
 habilitatis, vbi notum est, Excommunicatum, Bannitum &
 Minorenem nullam habere Personam standi in iudicio, hinc
 plane in illo comparere, aut munere Aduocati vel Procurato-
 ris fungi prohibentur. HEROLD. *in obs. ad Proc. c. 11. n. 35. &*
cap. 40. n. 17. L. 2. C. qui legit. pers. stand. in iudic. bab. RIVIN.

*spec. excepte. cap. 6. semel itaque excommunicatus, bannitus,
& inquisitus semper praesumitur, donec usque doceatur ab-
solutio. FARINAC. de Testib. quaest. 56. n. 257. & 258. maio-
rennitas vero simili modo non praesumitur, sed est probanda
RIVIN. d. l. SCHACHER. in Colleg. Pract. lib. 44. pag. mihi
504. n. 11. & ita nuperrime in causa executiva ab inclito ICto-
tam hac in Salana Collegio iudicatum memini.*

*Exceptio
cautionis & reconventiones. §. IX.*

*presumitur SIMILITER quanto exceptio cautionis pro reconuentio-
missa, quando & expensis praesumitur remissa: quando in primo termino
in limbo terrena non est opposita. MARTINI ad O. P. S. tit. 13. §. 1. n. 39. Na-
minus non opposita. scitur vero quaestio, an fatisdationis praestatione possessor
bibliothecae pretiosae sit immunis, & an praesumatur, talem
habere, qui DOCTOR vel Aduocatus est? Quod primum ca-
cas reletus sum attinet, argumentis oppido solidis affirmatur, modo de
et quando dilapidatione & fuga non sint suspecti. SVENDEND. ad Fibig.
eu praece p. m. 497. reg. 2. BERLICH. p. 2. dec. 292. STRUV. Synt. Iur.
Civ. exerc. 5. tb. 25. & doceatur possessio eiusmodi biblioth-
ecae, nam est res facti & eget probatione. L. 23. & 29. ff. de Ac-
quir. vel omnitt. possess. HORN. class. 4. Resp. 4. pag. 234. quod
etiam quoad secundum casum obtinet. Sed ulterius quaeri-
tur? an immobilia possidens habeatur solvendo, ita: vt a
sum immobi praestatione cautionis pro reconventione & expensis sit im-
mobilis, & fideiubendo alium ab hac cautione immunem red-
dere possit? & respondetur, quod sic; nam solvendo esse,
idoneus quisque tamdiu praesumitur, donec probetur con-
trarium; haecce praesumtio quoque debitori tribuitur L. 4.
ff. de iure Codicill. MARTINI ad O. P. S. tit. 20. §. 1. n. 100.
quibus autem modis contrarium probari possit, legitur apud
BERLICHIVM p. 2. concl. 24. n. 143. & summariam hoc in
causa sufficere demonstrationem assertit CARPZOVIVS. L. 4.
Resp. 38. n. 10. seqq.*

§. X. QVI-

*An
Poyeywiz
tur? an immobilia possidens habeatur solvendo, ita: vt a
sum immobi praestatione cautionis pro reconventione & expensis sit im-
mobilis, & fideiubendo alium ab hac cautione immunem red-
dere possit? & respondetur, quod sic; nam solvendo esse,
idoneus quisque tamdiu praesumitur, donec probetur con-
trarium; haecce praesumtio quoque debitori tribuitur L. 4.
ff. de iure Codicill. MARTINI ad O. P. S. tit. 20. §. 1. n. 100.
quibus autem modis contrarium probari possit, legitur apud
BERLICHIVM p. 2. concl. 24. n. 143. & summariam hoc in
causa sufficere demonstrationem assertit CARPZOVIVS. L. 4.
Resp. 38. n. 10. seqq.*

Limita.

S. X. de contumacia non
comparantur

QVINTO ex variis quoque circumstantiis contumacia^s da.
 quae est inobedientia erga Iudicem VMM. in Process. disp. 6. Legitimit.
 s. 1. vel admissa vel non admissa praesumitur. Contumacia Citationis
 enim vel vera, vel praesumpta est; Vera committitur, quando quis, ter vel peremptorie citatus, non comparet, hinc
 hoc in casu pro contumace habetur, si modo eitatio iusto tem-
 pore, & loco, legitime sit insinuata, & citatus scientia citatio-
 nis imbutus, sine causa non compareat. STRUV. Synt. Iur. Civ.
 exerc. 9. tb. 69. L. 74. in fin. de iud. L. 23. in fin. de appellatis
 VMM. in dissert. ad process. 6. §. 1.n. 2. notanter dixi, legitime
iusto tempore & loco. Ita 1) regulariter non valet eitatio,
 quae a Iudice proprio motu emissa est, sed requiritur, ut e-
 manet ad instantiam partis, citationis enim petitio est facti,
 quale Iudex ex officio supplere nequit. Ord. Iud. Sax. Gotban.
 p. 1. c. 1. §. vers. auf Ansuchen des Klägers & p. 2. c. 1. S. 22. Citation non
 auf mündlich oder schriftlich Ansuchen &c. SVENDEN potesz inf-
marci nocte.
 DORE. ad Fibig. pag. mibi 127. HILTROP. in proc. iud. p. 2.
 tib. 1. rubr. de requisito. cit. num. 16. & 17. Insinuatio porro fieri
 debet 2) die non feriato, nec nocte. Ord. Iudic. Sax.
 Gotban. p. 1. cap. 1. §. 2. vers. jedoch nicht &c. VMM. ad pro-
 cess. dissert. 5. n. 63. NICOLAI in process. p. 1. c. 4. n. 10. per
 nuntium iuratum. Ord. Gotban. dict. loc. vers. durch ge-
 schwörne &c. CARPZOV. lib. 1. Resp. 25. num. 6. BER-
 LICH. p. 1. concl. 10. num. 21. aliter opus est, ceu in refactis
 probatione, & hinc relatione in actis non apparente, citatio,
 pro non insinuata habetur, nec de rei non comparantis con-
 tumacia, sententia ferri potest. SVENDEND. ad Fibig. Process.
 p. m. 139. lit. e. CARPZOV. in process. tit. 7. art. 1. n. 69.
 AYRER in process. hist. p. 1. c. 40. n. 8. 3) requiritur vt: in-
 sinuatur citatio, spatium legitimum deliberandi habens, de-
 bito loco, nempe, vbi citandus suum habet domicilium; hinc
 citatio

citatio in itinere, vel diuersorio insinuata, non valet, per tradita. SVENDEND. ad Fibig. pag. mibi 140. n. 89. licet per nuntium iuratum sit facta. 4) Citatio citando, non alii, e.g. qui pro citando cautionem de iudicio sibi praestitit, insinuari debet. SVENDEND. ad Fibig. p. m. 141. n. 90. his igitur demum & aliis requisitis concurrentibus, contra legitime citatum atque sine iusta causa non comparentem, praesumitur contumacia; de quibus videsis allegatum SVENDENDORFERVM, CARPOVIVM, aliasque de processu, & hac materia scriptores; requiritur etiam ultimo, accusatio contumaciae, nam in ciuilibus Iudex nunquam absque illa petitione procedit, nec condemnari quis potest contumaciae, altera parte haud accusante, sed potius contumacia praesumitur remissa, terminus habetur pro circumducto, & citatio pro nulla. RICHTER. Vol. 1. p. 1. cons. 48. n. 29. VMM. ad proc. disp. 6. §. 1. n. 6. Necesse quoque habet accusans, ex sua parte praestanda praestare, v. g. in termino prouocare, libellum repetere & eodem die, qui ad comparandum est praefixus, contumaciam accusare. Dn. VVILDVOGEL. in dissert. de term. circumduct. cap. 2. §. 12. B. Dn. HORN. class. 12. Resp. 110. arg. 4.

*de praesumpta con-
tumacia.* §. XI.

SEXTO praesumpta contumacia est, quando de insinuatione citationis factae haud plene confiter, vel si sufficienter citatus absque malitia non compareat. B. Dn. STUV. S. I. C. exerc. 9. tb. 89. BRVNNEMANN. in process. civ. cap. 4. n. 2. & actor non compares semper habetur pro contumace; licet defecerit citatio legitima & legitime executa; ratio in hoc consistit: quoniam legitima insinuatio Citandi & Rei causa fit, ut se possit defendere; aliter autem se res habet in actore non comparente, cui licet notificatio termini aequre solenniter facta non sit, tamen ad instantiam Rei contumaciam accusantis

santis & impensis causatas petentis, in expensas & cautionem de prosequenda lite plerumque condemnatur. SVENDEND. ad Fibig. p. m. 149. seqq. MULLER. ad Struv. S. I. C. exerc. 9. 1b. 69. lit. a. Ordin. Sax. Gotban. p. 1. c. 4. §. 1. WILDE &c. & hoc obtinet etiam in leuterationis instantia, hinc leuterante & leuterato in termino prosecutionis simul non comparente, non dicimus terminum circumductum esse, sed potius leuteratione deserta habetur, quam opinionem in pronunciando secutus est Iuris-Consultorum tum Ienensem cum Lipsiensem inclytus Ordo, & quidem ex his rationibus: quia circumductio termini tantummodo locum habet in causis primae instantiae & simplicis querelae, tam de Iure Saxonico, quam ciuili. Dn. VVILDVOGEL in *dissert. de term. circumduct.* cap. 2. §. 12. Dn. RIVIN. ad O. P. S. tit. 35. enunc. 41. *Recess. Imper. de ao.* 1566. §. 50. *viel die Appellation &c.* non obstante quod leuteranti nulla fuerit facta termini ad prosequendum citatio, quam sibi ipsi procurare debuisse. CARPZOV. in *process. sit.* 17. art. 1. n. 114. Hinc ex deductis patet, actorem in prima instantia, leuterantem vero, siue actor siue reus sit, in secunda instantia ex praesumpta contumacia condemnari; ex contrario aliis non habetur leuterante & leuterato emanente leuteratione deserta, sed praesumitur non aliter, quam in prima instantia remissio contumaciae, & sic terminus prosecutionis habetur pro circumducto. Dn. VVERNHER. part. 2. obs. 5. Dn. GRIEBNER. in *proc. Lib. 1. c. 6. p. 1. §. 10.*

§. XII.

SEPTIMVS casus, de quo nunc quaestio discutienda, est, quando praesumitur commutatio processus executui in ordinarium vel suminarium in specie sic dictum, vbi in vulgus notum, 1) processum ordinarie tractari, quando actor a reo solennem litiscontestationem postulat, vel quando reus consentiente

sentiente vel tacente auctore litem contestatus est. MARTINI
 ad O. P. S. tit. 16. §. 1. num. 30. seqq. nam actor executive
 agens petere debet instrumenti recognitionem; hinc si po-
 stulet: daß sich Beklagter auf die Klage einlässe und ant-
 worte; pro indicio processus vel summarii vel ordinarii ha-
 betur, & actor a processu executivo recessisse videtur.
 STRYCK. in annotat. ad Lauterbach. pag. m. 429. HORNIVS
 in dissert. de process. summar. ex §. 8. resolut. Elect. Sax. nouiss.
 §. 36. vbi infert, quando Actor formula vitetur: Fordert
 demnach Kläger von Beklagten richtige und deutliche
 Antwort; Ordinarium Processum esse institutum; Alter
 vero iudicandum esse, quando solum verbum Antwort po-
 nitur, quod ad summarium in specie sic dictum pertinet, vel
 si petat a Reo recognition und Antwort, deseruisse proces-
 sum executivum & processum summarium ex §. 8. resolut. E-
 lect. nouiss. Sax. instituisse creditur. Hinc si per sententiam,
 quae vires rei iudicatae acquisiuit, praeter recognitionem
 etiam responso ad libellum, Antwort iniungatur, exceptio-
 nes altioris indaginis valide oppontuntur. Dn. VVERNHER.
 part. 2. obser. select. 358. De voce autem Einlaßen multo
 aliter sentit B. Dn. HORN. dict. loc. & dicit esse verbam pro-
 cessui executivo aptum, modo recognitio simul sit petita;
 Hinc sententia iniungens, die Einlaßung sub pena confessi
 atque confititi und recognition sub pena recogniti, siue pe-
 titio ita ab Auctore sit facta, siue non, minime processum execu-
 tivum mutare censeretur; si vero solum die Einlaßung
 sine mentione der recognition sit petita, tunc non locus est
 processui executivo, sed solum summario. Dn. BERGER. in
 elect. Process. execut. §. 36. obser. 1. modis nonnullis obcep-
 tione in id, candido in §. 36 XIII. multo rursum in multis
 vbi: 1) Herv. casus est 2) vbi commutatio Processus executivum
 in ordinarium praesumitur: quando libellus executivus in se
 cor.

continet in causis principalibus certa capitula, quæ altioris
indaginis reperiuntur & incontinenti non sunt liquida. Hinc
si instrumenta in se continent facta adhuc probanda, nec ex
contentis ita possit obstringi reus, vt non obstante recognitio-
ne pera, vterius aliquid adhuc sit probandum, hinc docu-
menta non sunt liquida & guarentigata, nec executioni est lo-
cūs. CARPZOV. lib. 3. Resp. 31. num. 24. & in Process. tit. 22.
art. 1. num. 29. NICOLAI in process. cap. 7. num. 9. PHILIP-
PI. decis. 12. obseru. 2. num. 9. Nam si replica est altioris inda-
ginis, non executiva, sed ordinaria actio, dicitur instituta. Dn.
WERNHER. part. 2. obseru. 146. litis contestatio solennis,
probatio & reprobatio per testes, admittitur, & per sententiam
imponitur. MARTINI. ad Ordinat. Process. Saxon. vit. 16. §. 1.
num. 30. seqq. negatiuae & anomalae exceptiones, quae viam
parant processui executivo, admittunt quidem probationem
& reprobationem facta recognitione, non vero, requirunt lib-
ellum ordinarium & solennem litis contestationem; Sed
causa principalis & processus executivus suspenditur, usque
dum exceptio praeiudicialis negatiua sit probata. Dn. WERN-
HER. part. I. obseruat. 149. num. 2. seqq. in his & reliquis cau-
sis, vsu fori ita non receptis, interdum exceptione inepti libelli
opposita, reiicitur libellus, & causa ad ordinarium iudicium re-
mittitur atque pronunciatur: *Dass Beklagter auf die erhö-
hene Klage, inmassen Sie anbracht, Sich einzulassen nicht
schuldig.* Nam reo inuito causa ordinaria minime tractari
potest summariter. Dn. RIVIN. ad O. P. S. tit. 5. ennuc. 15.
Dn. SVENDEND. ad Fibig. p. m. 1131. Dn. LVDOVICI in
Proc. Ciu. cap. 3. §. 2. num. 3. & instrumenta obscura & illi-
quida, quae adhuc desiderant probationem, aut interpretatio-
nem aliquam intrinsecam, in hoc processu executivo, non at-
tenduntur. CARPZOV. lib. 3. Resp. 63. num. 2. & 22. KLOCK.
Vol. 2. cons. 7. num. 23. & 29. item 148. seqq. & quidem, quo-

niam regulariter nemo ad probationem per testes potest absque libelli editione, litis contestatione, aliisque soleannibus, peruenire. COLER. de processu executu, P. 2. c. 2. num. 195. BERLICH.
Part. 1. conclus. 84. num. 91.

§. XIV.

VLTIMVS casus, vbi commutatio Processus executui in ordinarium præsumitur, est: quando Actor, qui instituit processum executuum, & instrumentum ad recognoscendum produxit, reproductione libri mercatorii a reo facta, eoque recognito, censetur actor ab eo processus genere recessisse, adeoque reo suppletorium imponi potest. Nam indoles & natura processus executui nullam aliam admittit exceptiōnem, quam quæ incontinenti liquida est; hinc sequitur, actorem, si reus mercator, opposita forte exceptione solutionis, compensationis, ad eam demonstrandam, librum mercatorium producat, ad eius recognitionem minime posse obligari, nam hic non nisi iuramento confirmatus, plene probat. At enim si Actor librum mercatoriorum recognoseat, in suum præiudicium processum executuum deseruisse intelligitur, & ira reus, quoniam recognitio facta, effectum sortiri debet, ad suppletorium admittendus est, prout docet Dn. WERNHER.
Part. I. obs. 42.

§. XV.

QVOD attinet productionem instrumentorum, ibi præsumitur octauo, quod omne productum, productione facta, per producentem approbetur, & non solum pro Producente, sed etiam pro scribente, licet sit documentum privatum & proprium, probat. Dn. BERGER. in Ocean. Iur. lib. 4. tit. 4. §. 7. num. 4. CARPZOV. part. 1. const. 17. def. 7. nam producendo producens videtur confiteri omnia contenta instrumenti.

SCAC-

S C A C C I A de iudic. lib. 2, cap. II, num. 67. & ita plenissime probant contra producentem, sine vltiori recognitioне, etiam in reprobatione, & tantam fidem in favorem partis adversae, quam in favorem partis producentis, exserunt, ita: ut ex illis posit condemnari. Dn. BERGER. dict. los. nota 4. §. 2. num. II. & in elect. discept. forens. tit. 25. obs. 3. n. 7. BERLICH. part. I. conclus. 43. num. 20. M E V. part. 7. decis. 349. num. I. Imo sufficit actorum folia allegare, modo documentum, ab adversario sit productum, & ipsum authenticum, non vero copia, actis sit inserta; nam acta & actitata, in iudiciis, notorium inducunt, notorium autem probare, non est necesse, sed sufficit eius allegatio. BERLICH. part. I. concl. 43. num. 46. seqq. Dn. RIVIN. ad O. P. S. tit. 24. enunc. 4. MYNSINGER cent. 6. obseru. 3. num. 3. Quod si etiam instrumenta, a producente sint producta intempestive, & ante litem contestata in processu ordinario vel summario, denuo produci & copiae communicari debent. Ordinat. Sax. Gorhan. part. I. cap. 10. §. 25. verbo: Wenn gleich der Kläger &c. MAYER. in Colleg. Argentor. tit. de fid. instrum. per tot. MYNSINGER cent. 6. obs. 56. & productione facta, producens, neque instrumenta ab actis reuocare, neque contra illa errorem allegare, neque contra personam Testis vel Notarii quicquam opponere potest; nam qui semel approbat personam, postea illam reprobando repellere nequit. L. 9. ff. de negot. gest. MASCARD. de probat. Vol. 2. conclus. 916. num. 2. Dn. RIVIN. ad tit. 21. enunc. 44. Damnum vero, quod metuendum & praesumpta approbatio, quae resultat ex simplici productione, tollitur, si producens instrumentum diuersa capitula habens, hoc tantummodo in passibus utilibus, & quoad clausulam concernentem, producat. B. STRYCK. in introduct. ad prax. cap. 17. §. 16. Dn. LVDOVICI. in Process. civ. cap. 17. §. 11. MARTINI ad O. P. S. tit. 24. §. 2. num. 69. & hoc in casu contraria, parti producenti minime nocent. Sed

tamen distinguitur inter documentum validum & perfectum,
 & inter documentum invalidum & imperfectum. Quod
 primum casum attinet: protestatio in contrariis inefficax habe-
 tur, quoniam protestatio contra documentum, quod ex se est
 perfectum, atque etiam a producente pro valido agnoscitur,
 tantum in passibus utilibus producere, contra iura est & nul-
 lum effectum sortitur. Aliter vero se res habet, quoad secun-
 dum casum, ubi instrumentum reperitur imperfectum &
 invalidum, nam hic approbatio & reprobatio in parte, est res me-
 rae facultatis, & dependet ab arbitrio eius, cui praiejudicare pot-
 est. SCHARNHORST in concil. decisi. Meiani. Variat. 35. pag.
 m. 135. seqq.

§. XVI.

NONO, sors regulariter non presumitur, sed potius requi-
 ritur, ad eam probandam, secundum naturam processus execu-
 tui, documentum guarentigiatum, nempe chirographum:
 causam debendi habens, eoque deficiente, actio executiva lo-
 cum non habet SVENDENDORF. ad FIBIG. pag. m. 113.
CARPZOV. in process. tit. 22. art. 1. num. 61. L. 25. §. ult. de
 probat. c. 51. cauio X. de fid. Instrument. nec sufficit, quando in
 instrumento generaliter legitur: Caius mihi ex contractu de-
 bet centum. Sed requiritur, ut creditor specialiter contra-
 ctum probet, & quidem: per Testes, in processu ordinario. Dn.
LVDOVICI. in Proc. civ. cap. 3. §. 2. num. 3. B. HORN. class.
II. Resp. 92. arg. I. SVENDENDORF. ad FIBIG. cit. loc. sors
 autem & causa debendi, praesumuntur: quando Debitor, ultra
 tempus praescriptionis, usurpas soluerit, & hoc liquidum est; vel
 ex confessione Debitoris, vel ex Documentis. Dn. WILDVO-
 GEL Resp. 194. num. 6. L. B. de LYNCKER. decisi. 357. B. Dn.
HORN. class. II. Resp. 92. p. 763. a. WESENBEC. cons. 2. num.
 162. L. 6. ff. de usurp. & non solum praesumitur causa debendi in
 debito

debito antiquo, sed etiam in novo, ac sufficit, si causa debendi, per coniecturas, constet, licet disserte in chirographo expressa non sit. Sic, quando mentio fit pecuniae acceptae, praesumitur contractum mutuum. L.B. de LYNCER. *decis.* 330. SVENDENDORF. *ad FIBIG.* *Proc. p.m.* 1128, *seqq.* MASCARD. *de probat. conclus.* 345. *num. 55.* CARPZOV. *in pro-*
cess. tit. 22. art. I. num. 67. inter mercatores vero & in can-
biis, causa debendi non requiritur. MARQUARD. *de iur. Mer-*
cator. lib. 2. cap. 12. num. 84. Dn. WERNHER. *in select. obser-*
uat. part. I. Observ. 167.

§. XVII.

PRAESUMITVR etiam decimo facti negatiua, in processu executiuo, quam nemo regulariter probare tenetur; quorum spectant: exceptiones implementi non secuti, non adimpteti contractus, rei & mercis non traditae, item pretii non soluti; re-ferunt illas, inter exceptiones dilatorias, ipsam actionem respi-
cientes, quia ius agendi non in totum, sed in tantum excludunt. SVENDENDORF. *ad FIBIG.* *pag. m.* 386. *num. 154.* & *pag.*
380. num. 199. opponi possunt, contra instrumentum liquidum, ad impediendum parata in executionem. CARPZOV. *in proc.*
tit. 22. art. 3. num. 86. Dn. VVERNHER. *part. I. obs. 172.* & qui-
dem: cum aliis exceptionibus litis ingressum impedientibus, locum habere, dicitur, licet in minimo articulo, promissum non sit seruatum. MARTINI. *ad Ord. process. Sax.* iii. ii. §. 7.
num. 14. CARPZ. *lib. 2. Resp.* 88. *num. 1.* SVENDENDORF.
tit. loc. & haec anomalae vellitis ingressum impedientes exce-
ptiones, cum aliis, e.g. non numeratae pecuniae, excusonis &
SCti Mae doniani &c. ante litis contestationem vel recogni-
tionem, quæ in processu executivo, loco litis contestationis est, recte opponuntur, licet incontinenti non sint liquidæ. Dn.
GRIEBNER. *in process. Lib. I. cap. 2. sect. 5. §. 1. lit. b.* CARPZ.

D 3

lib. 3.

lib. 3. Respons. 63. num. 12. nam onus probandi, ob praesumitiones iuris, pro reo militantes, in actorem deuoluunt; & non probantur ab eo, qui iis uritur, sed ab aduersario. Dn. GRIEBNER. *dict. loc.* Dn. VVILDVOGEL. *Resp. 130. num. 7.* Dn. VVERNHER. *par. 1. Obs. 149.* B. CARPOZOV. *lib. 2. Resp. 88. num. 5.* B. SVENDEND. *ad FIBIG. pag. m. 361. & 362.* oritur enim haec exceptio ex natura & substantia contractus, quippe eo non adimplete agenti nulla competit actio, donec perfectum ac adimpletum doceat contractum, etiam si reus nihil probaverit. *L. 13. §. 8 ff. de action. Empt.* Dn. VVERNHER *part. 1. dict. loc.* & hoc etiam in processu cambiali obtinere, assertit Dn. BERGER. *in Elect. proc. execut.* §. 30. & 34. Dn. HORN. *classe 14. Resp. 8. arg. 4.* Hinc Actori probatio exceptionis negatiuae imponitur, & causa principalis suspenditur, vsque demonstrauerit, illum, contractui, quoad substantia, non quoad accidentalia, satisfecisse; Reo autem reprobatio vel remonstratio per testes, aut delationem iuramenti, permititur. Dn. VVERNHER. *part. 1. obs. 149. num. 5.* FRIDERICI *in Nucl. Process. cap. 12. part. 3. num. 14.*

§. XVIII.

VNDECIMVS casus est, quando quis in alterius chirographo subscriptionem suam inserit, ex hoc enim non statim sequitur id, quem animo fideiubendi fecisse. Hinc, ubi non simul in documento appellatur Fideiussor, minime praesumitur fideiussor. GEORG. BAYER *ad ff. tit. de Fideiuss. post. 6.* STRYCK. *ad LAVTERBACH. comp. pag. m. 632. verbo Scriptura.* Nam subscriptio multos parit effectus, & non semper indicium praebet scientiae ac obligationis, sed interdum exhibet signum consensus, testimonii, praestationis autoritatis, confirmationisque. RICHTER. *Vol. 1. part. 4. consl. 32. num. 8.* Hinc quae- situm est, an iure Saxonico praesumatur, renuntiatum esse exceptio-

ceptioni ordinis & excussionis, renuntiatione generali a Fideiussore facta? Negativa maxime defenditur in Adpromissore, qui idem promittit, quod alter iam promiserat, non tamen eo animo, ut correus, sed modo, ut sponsor fieret; itaque, et si in instrumento fideiussorum, aut, generaliter omni legum beneficio renunciaverit, & indemnitatem iure iurando promiserit, tamen minime his beneficiis renunciatum creditur. L. B. de LYNCKER. *decis.* 215. B. RICHTER. *Vol. 2. cons.* 233. n. 5. BERLICH. *part. 2. conclus.* 22. n. 7. & 11. RIVIN. *in specim. except. for. cap. 37 num. 5.* & hoc procedit, etiam si fideiussor se als einen Selbstschuldner obligauerit. Dn. VVILDVOGEL, *Resp. 128. num. 3. 4. & 9.* RICHTER. *Vol. 2. cons. 374.* nam non sufficit, in genere beneficiis Fideiussorum renuntiare, quia renuntiatio est stricti iuris, quae regulariter non praesunitur. c. 5. X. de renunciat. Aliter autem res 1) se habet in Fideiussore, Principaliter obligato, als einen Selbstschuldner de iure communi. *princ. ff. de Legat.* 1. L. 80. *ff. de V. O. GAIL. lib. 2. obseru.* 28. *num. 10.* & quidem ex hac ratione; ne haec verba frustra videantur adiecta, & idem iuris est 2) in expromissione Dn. VVILDVOGEL, *Resp. 128. num. 10.* L. B. de LYNCKER. *decis. 1063.* CARPOZOV. *p. 2. c. 18. def. 2. num. 10.* seu nouatione, animo, penitus liberandi Principalem, facta, ubi per bonam consequentiam aliter argumentari nequit, quam, quod Principali non obligato, minime beneficium excussionis locum habeat. IOH. COPPEN *L. 2. obseru.* 31. *num. 11.* RICHTER. *Vol. 2. consil.* 374. 3) si huic beneficio expresse sit renuntiatum. ECKOLT *ad ff. de Fideiussor §. 29.* 4) si notoria sit Debitoris inopia B. STRVV. *in Iurispr. Rom. Germ. iit. de fideiussor. §. 6.* & 5) quando Debitor principalis difficulter, aut plane non, possit conueniri. *Nou. 4. authent. praesente Cod. de fideiussor.* huc pertinet, si quis fideiusserit pro foemina, pupillo ac furioso; Hinc si scientia concurrit, hunc esse filium familias &c. animo donan-

donandi id fecisse praesumitur. L. 1. & 2. *Cod. de fideiussor. minor.* L. 25. ff. *de Fideiussor.* Sed hoc assertum posterius limitatur: a) in muliere Mercatrice, aut Opificium exercente, quibus facultas contrahendi competit, & inde obligantur naturaliter & civiliter. MULLER. *ad STRVV. Syn. Iur. ciu. exercit. 21. tb. 12. lit. d.* Mercatrices vero hic appellantur: quæ proprio nomine mercantur, non perinde vxores Mercatorum, nisi cum maritis communem exerceant negotiationem. Dn. BERGER. *de proc. execut. pag. 58. §. 50.* BERLICH. *decis. 224. num. 34.* REBHAN. *iu delineat. quae vxor. mercatr. tb. 57.* & hoc procedit, etiam b) in virgine & vidua Curatorem non habente, quae de iure Saxonico communi, non vero electorali, in negotiis extrajudicialibus, valide obligantur. FRANZK. *lib. 2. resolut. 5. num. 83.* COLER. *p. 1. decis. 67. n. 40. & 48.* SCHNEIDERVEIN. *ad Inst. tit. de donat. inter vir. §. aliae. num. 45.* Quibus modis autem Fideiussor pro foemina ad contrahendum inhabili, cautelam & solatium inuenire posse, ut priuilegia personalia iuxta L. 7. ff. *de except.* foeminæ contrahentis, non fideiussori competentia, acquirat, videatur, NICOLAI *in process. part. 3. cap. 5. num. 34. & 36.*

§. XIX.

NUNC quaeritur duodecimo an renuntiatio exceptionis divisionis praesumatur, an vero non? Beneficium Fideiussoribus competens, robur ac vim ex epistola Diui Hadriani accepit, qua Creditor a singulis Fideiussoribus, modo tempore litis contestationis sunt soluendo, partem seu ratam petere tenetur. §. 4. *Inst. de Fideiussor.* quod etiam iure saxonico electorali obtinet, licet confideiussores singuli in totum se obligauerint, sämtlich und sonderlich, einer vor alle, und alle vor einen. HARTMANN. PISTOR. *observ. 112.* HORN. *class. II. Resp. 84.* DANIEL. MOLLER. *ad constit. Elector. 17.* renuntiationes enim

629

BS) 33 (50

enim sunt stricti iuris, & in iis non comprehenduntur, nisi quae sunt expressa; hinc nec renunciationes generales valent, nisi beneficia quibus renunciatur, specialiter allegentur. MATTH. COLER. part. 2. decif. 220. num. 37. seqq. & inde sequitur ex allegata renunciatione in solidum, non praesumit renunciationem beneficii divisionis, secus vero est de iure saxonico communi, vbi praesumitur renunciatio huius exceptionis divisionis, si verba sint addita: sämtlich und sonderlich, einer für alle, und alle für einen. MATTH. COLER. allegat. loc. ADRIAN. BAYER. ad SCHVLZ, Synops. Instit. de fidei infor. lit. c. BERLICH. part. 2. conclus. 22. n. 24. Et quidem ex hac ratione, quoniam minimum verbum in contractibus aliquid operari debet L. penult. §. t. ff. ne quis cum qui in ius vocat.

Ab. 5. XX.

HAEREDITATIS immixtio seu aditio decimo tertio, non praesumitur, sed est probanda. HOPP. in commentar. ad In-
hereditatis, quando pre-
fuit. de haered. qualit. & different. §. 6. num. 1. VVESENBEC. part. 1. consil. 13. num. 94. Hinc creditor Patris defuncti, exigen solutionem, a liberis, immixtionem negantibus, hi in exsolutione debiti, minime condemnari queunt, priusquam creditor docuerit aditionem haereditatis. CARPZOV. Lib. 6. Resp. 64. & p. 3. consil. 14. definit. 20. RICHTER. Vol. I. part. 2. consil. 27. n. 8. & haec probatio regulariter non in executio sed in ordinario processu, est instituenda. MARTINI, ad O P S. tit. 39. §. 1. num. 509. & 510. Exceptio tamen datur, si filius reperiatur in possessione bonorum feudalium & allodialium paternorum, e. g. quando diu in aedibus paternis habitauerit & debita haereditaria exegerit, tunc praesumtio contra filium capit, & ita onus contrarium demonstrandi, illi defertur, eum in finem, vt doceat alium possessionis titulum, nempe: se
E non

non esse haeredem, sed possidere bona haereditatis, ut credito-
rem, v.g. ratione maternorum, & exercere ius retentionis.
Dn. LUDE^R. MENCKE ad ff. lib. 28. tit. 2. §. 3. B. STRU^V.
in S. I. C. exerc. 34. th. 22. L. 1. C. de repad. vel abst. haered.

§. XXI.

*de
Praesumptio
ne Solutio-
nis.*

DECIMO quarto in materia solutionis variae etiam ori-
untur praesumptions, & quidem: 1) Debitor qui solvit partem,
reliquum agnoscere censetur. Dn. B. de LYNCKER. *decis. 1386.*
& ita ad solutionem totius summae obligatus est, nisi solvens,
2) totalem solutionem, affirmet, quo in casu, si creditor fatea-
tur, se accepisse partem, non totam summam, creditorem, par-
ticularem solutionem, probare oportere, affirmat BERLICH.
part. 1. conclus. 37. num. 10. seqq. & quidem ex hac ratione:
quoniam praesumptio iuris, solutionem particularem exclu-
dens, militat, pro creditore. 3) ex epochis trium annorum, praes-
sumitur solutio, praeteritorum annorum. B. Dn. HORN. *class.*
12. Resp. 13. pag. 803. FINCKELTHAVS. *obseruat. 115.* *L. 3.*
Cod. de epoch. public. 4) admittuntur praesumptions in hoc
processu executivo, quando instrumenta ab hostibus sunt ab-
lata, vel igne combusta, quo in casu, etiam amissio epochae vel
obligationis praesumitur, & plerumq; ex his praesumptionibus,
Creditori vel Debitori iuramentum imponitur. CARPZOV.
lib. 5. Respons. 104. num. 21. 5) praesumitur vel totalis solutio
vel remissio interest & usurarum, quando Creditori sors so-
luta est, & ille acceperit pecuniam debitam, sine protestatione
& reseruatione usurarum. CARPZOV. *part. 2. constit. 30. de-*
finit. 12. 6) Doctores etiam consilium dant Creditori, ne
contra unum ex correis agat, partem suam virilem petens, aut
oblatam ab ipso simpliciter accipiens, sed svadent, ut epochae
inserat: auf Abschlag, aliter praesumi Creditorem a iure suo
petendi solidum, a singulis tacite recessisse, B. SCHILTER ad
ff. exercit. 48. §. 17.

§. XXII.

§. XXII.

NVNC quaeritur decimo quinto, an praesumatur renuntiatio exceptionum, contra delegantem, competentium, quando in delegationem consenserit? & respondetur: delegati Debitoris consensum requiri in delegatione, L. 1. §. 6. de novation. hinc si consensum dederit, nec exceptions, quas contra delegantem habet, sibi expresse reseruauerit, renuncia esse iisdem creditur. HOPP. in Comment. ad Institut. tit. quibus mod. toll. obligat. §. 3. L. 12. pr. ff. de novat. L. 5. §. penult. ff. de except. dol. mal.

§. XXIII.

SUNT decimo sexto, quibus placet, legatum creditoris sine mentione debiti relictum, minime debito imputari debere. FACHIN. Lib. 3. controvers. 33. BACHOV. ad hoc in legem TREVTLER. lib. 26. lib. 12. contrarium tamen a maxima Iuris Consultorum parte probatur, addita tamen distinctione, inter debitum necessarium & voluntarium; Nam quoad prius, legatum praesumitur animo compensandi cum debito necessario, relictum, & quidem ex hac ratione, quod praesumendum non sit, Testatorem, haeredem, duplice onere grauare voluisse L. 43. de legat. 2. §. 5. aut quem existere liberaliter in necessitatibus L. 18. ff. de adiun. vel transf. legat. autib. praeserea in fin. C. unde Vir & Vxor. BRVNNEMANN. centur. 4. decis. 17. CARPOV. p. 3. conf. 23. def. 29. BERLICH. part. 2. decis. 223. MENOCH. de praesumt. lib. 4. praf. 109. L. 22. §. 3. ff. solut. matrim. quoniam autem sit debitum necessarium aut voluntarium, patet; nempe necessarium est, quod ex dispositione legis vel statuti venit, vii dos, portio statutaria & dotalitium. Voluntarium vero appellatur, quod debetur ex pacto vel contractu GEORG. BAYER. ad Institut. tit. de legat. pos. 46. MENOCH. & BRVNNEMANN. cit. loc.

E 2

§. XXIV.

Lamigi Injurie

§. XXIV.

praece praes PRAESUMITVR etiam decimo septimo variis modis remissio iniuriae, & extra omnem dubitationis aleam est, processum executivum, etiam in causis iniuriarum obtainere, licet Doctores, in quibus actionum generibus hoc procedat, non conueniant, inclyro Iuris Consultorum Ienensium Ordini placuit, actionem aestimatoriam, processu executiuo tractari posse, Dn. LYNCKER. *decis. 374.* Dn. VVERNHER. *part. r. obser. 105.* quod alii non æque probant, hinc statuunt, si in actione recantatoria vel aestimatoria libellus summariter concipiatur, debere hunc, ut in euptum, sententionario reiici. SVENDENDORF. *ad Fibig. p. m. 1495.* BERGER. *in process. execut. §. 7.* admittunt tamen recognitionis petitionem in libello, actionem deprecatoriam comprehendente. SVENDEND. & BERGER. *cit. loc.* De caetero nascitur praesumitio remissionis iniuriae ad animum non reuocatae, ex sola iniuriati taciturnitate, sed hoc non procedit in iniurato, ante finitam conuentione, reconuentione, non instiruente, secundum Ord. Sax. Gorban. *part. t. cap. 5. §. 2.* in dubio enim ad animum reuocata censeretur, nec eget hoc probatione GEORG. BAYER. *ad Inst. lib. 4. tit. 4. posit. 44. in not. lit. a.* Remissa quoque iniuria censetur, si iniuriatus cum iniuriante commedat, bibat, ludat, ipsum salutet aut porrigat manum, nisi hoc fecerit honestatis causa, aut cum protestatione & more aulico, auf Hoffrecht. SVENDEND. *ad Fibig. pag 1527. & 29.* HOPP. *in Comment. ad Inst. tit. de iniur. §. 12. in ult.* & haec exceptio, modo factum sit liquidum, etiam, ceu litis ingressum impediens, in processu executiuo opponi potest. SVENDEND. *ad Fibig. p. m. 1529.* Reum quoque, habuisse animum iniuriandi, non praesumitur, hinc actori talem afferenti, incumbit probatio. *L. 6. C. de dolo malo.* nisi verba & facta per

sc

se reperiantur iniuriosa. BERLICH. part. 5. conclus. 60. num. 4.
MYNSINGER. cent. 5. obser. 68.

§. XXV.

PORRO quaeritur decimo octavo, an ex subscriptione, factam esse certiorationem beneficiorum renunciatorum, praesumatur? & quidem hoc affirmandum videtur; quia Do-^{ct}
cumenti subscriptio haut exigui est momenti. nam subscri-^{ptio} ~~ex subscr.~~ 20.
bens, omnia contenta, in instrumento, vera fateri, censemur, & nunciatio-^{nem}
ex subscriptione potius voluntas scribentis, quam ex instru-^{ptio} ~~ex subscr.~~
menti contentis, colligitur. CARPZOV. lib. 5. Resp. 3. num. 10. prae-^{sumat.}
Dn. LUDOVICI in Process. civ. cap. 3. §. 29. & habetur, ac si
totam schedulam scripsisset. RICHTER. Vol. 1. part. 4. cons. 32.
num. 7. & hoc etiam obtinet, in charta blanca, præsumiturque
contra scribentem, illam inspexisse aut consensisse conten-
ta scripturae subsecutae. RIVIN. in spec. except. forens. cap. ult.
§. 13. Dn. LUDOVICI. cit. loco. Hinc documentum quoad
subscriptionem recognitum, censemur recognitum, etiam quo-
ad contenta. HORN. class. II. Resp. 80. Praesumitur vero,
contra literas cautionis scribentem, non aliter certioratio
beneficiorum facta, nisi documentum disertis verbis, re-
nuntiationem atque explicationem beneficiorum, in se
contineat. Dn. VVERNHER. part. obseru. 208. num.
5. & 6. & contra eiusmodi instrumentum, ferme, ex-
cipiendo, nulla in processu executivo obtinet exceptio, quam
suspicio falsi, de qua nunc dicendum.

§. XXVI.

Falsum Doctores in visibile & inuisibile dispescunt; Visi-
bile dicitur, quod oritur ex vitio visibili instrumento adhaeren-
te, quod ex inspectione redargui potest, vbi minime probatio

E 3 con-

concludens, sed tantummodo suspiciones verosimiles requi-
 runt, & dignoscitur e.g. ex diuersitate atramenti & abrasione
 in capitulis substantialibus aliisque magni momenti. B.RVN-
 NEMANN. in proceſſ. ciu. cap. 19. num. 44. GUAZZINI Oper.
 crimi. tom. I. defens. 4. cap. 9. num. 9. EVERHARD. de fid. in-
 strument. cap 5. num. 60. seqq. RIVIN. ſpecim. except. forens.
 cap. vlt. num. 3. & ita, ſi ciuiliter agatur, ſufficit praefumtuſ do-
 lus, HAHN. ſelect. diſſert. I. de dann. n. 37. EVERHARD. d.l.
 n. 54. HONDOD. Vol. 1. conf. 115. num. 85. & ſuſpicio falſi, ha-
 betur pro ipſo falſo, CRVS- de indic. delict. p. 2. c. 36. n. 1. seqq.
 MENOCH. confil. 248. num. 43. ALTHVS. Dicaeolog. lib. 1.
 cap. 104. n. 47. & obtinet uſque ad ſententiā, hinc productus
 vitia allegare, neceſſe habet, L. fin C. §. fin. de falſi. HEROLD.
 obſeruat. ad Proceſſ. cap. 51. num. 25. & ita documenti con-
 ten-
 ta, per demonstrationem vitii viſibilis, clara & notoria eſſe, de-
 finunt. B. RICHTER. Vol. 1. P. I. conf. 3. n. 39. MEVIVS con-
 fil. 72. num. 83. EVERHARD. de fid. inſtr. d.l. imo uniūcum vi-
 tium viſibile, reddit instrumentum ſuſpectum de falſo. GUAZ-
 ZINI allegat. loc. & ſuſpicio falſitatis ex vitio viſibili nata, ha-
 betur pro falſitate ipſa, doneca producentē rei veritas docear-
 tur. B. RICHTER. Vol. 2. conf. 188. num. 7. & nemo tenetur
 eiusmodi documentum recognoscere. RVLANT. de Com-
 missar. p. 2. L. 5. c. 30. BERLICH. p. I. concl. 45. n. 65. hinc inter-
 dum pro ratione circumſtantiarum, vel abſoluitur reus; & actor
 in expenſas condenatur. Dn. B. de LYNCKER. decif. 1232.
 vel ſolutio reo producenti impoſit. SVENDEND. ad Fibig.
 p. m. 388. interdum vero ſuſpenditur proceſſus executivus, &
 inquilitio decernitur contra producentem. SVENDEND. d.l.
 § 389. CARPZOV. lib. 2. Rep. 52. num. 11. PETR. HEIG. quaest.
 39. num. 40. seqq. interdum ſuppletorium & purgatorium im-
 ponitur, prout §. 13. & 14. Cap. 4. demonſtrabimus, interdum ve-
 ro diſfēſſio quoad contenta, etiam in documents recognitis,
 COR.

conceditur. NAEVIUS de iurament. p. 3. c. 8. n. 6. RIVIN. ad tit. 25. O. P. S. enunc. 16. 25. & 26. B. de LYNCKER. decis. 304. 344. & 677.

§. XXVII.

SUSPICIO falsitatis extrinseca seu praesumpta est: quae nat
seatur ex aliquo virtio inuisibili, instrumento non adhaerente,
& quod ex prima inspectione cognosci nequit; qualia sunt:
si instrumentum, iusto non producatur tempore, vel si docu
menta, diuersum, de facto eodem, tenorem, continentia, repe
riantur. B. BRVNNEMANN. in proc. ciu. cap. 19. num. 44. HE
ROLD. in singul. obseru. ad process. cap. 51. num. 27. & his de
vitiis inuisibilibus statuunt DOCTORES, suspecta reddere in
strumenta producta, non quidem suspicione iuris sed potius
hominis, & relinquitur arbitrio prudentis Iudicis, an admittere
velit, necne. MASCARD. de probat. concl. 750. n. 4. seqq.
GUAZZIN. de defens. Reor. 4. c. 9. n. 9. MENOCH. de Arbitro
Iud. Quest. lib. 2. cent. 187. quod autem diximus de suspicione,
vel praesumptione hominis; hoc etiam ex paritate rationis ex
tendimus ad exceptiones, exceptioni falsi, non dissimiles.
RAVCHBAR. lib. 7. quaest. 25. COLER. de proc. execut. p. 4.
c. 1. n. 38. quorsum referimus; exceptionem dolii, aliosque exce
ptiones difficilis probationis, quae non aliter, quam per pra
esumptions doceri possunt, modo sint probabiles. RAVCHBAR.
dict. loc. num. 102. & licet alii sentiant, non esse admittendas,
quoniam reperiuntur illiquidae, tamen praesumptio efficit, ut
aequitas praeferatur rigor. MENOCH. de praesumpt. lib. 1.
quaest. 34. & iuramentum necessarium, ob praegnantes huius
modi praesumptions a Iudice deferri potest. MENOCH. dict.
loc. lib. 1. quaest. 87. exemplum est in expensis funebribus, vbi
coniecturalis probatio est permissa, ita ut vel ex officio a Iudice,
vel ad instantiam partis suppletorium, adiudicatur, prout vi
dere

dere est cap. 4. §. 13. aliud exemplum praebet Dn. B. de LYNCKER. decis. 159. in fideiussore, ignorantiam renunciatae exceptionis excusione & diuisionis allegante, vbi eius heredibus iuramentum credulitatis est impositum, & haec exempla de praestationibus, in processu executivo admittendis, sufficiant.

CAPUT QUARTVM

DE

ADMISSIONE IURAMENTI IUDICIALIS, ET NECESSARI IN PROCESSU EXECU TIVO.

CONSPECTVS.

<i>Etymologia, §. I.</i>	<i>processu, iuramenti delatio, §.</i>
<i>Definitio & Distinctio iuramenti §. II.</i>	<i>VIII.</i>
<i>Descriptio & Diafia iuramenti li tis decisorii, §. III.</i>	<i>Limitatur, nisi ex iusta causa, & quae sit iusta causa, §. IX.</i>
<i>Reliquae Definitiones & Divisiones iuramenti judicialis, suppletoriū & purgatoriū, §. IV.</i>	<i>In exceptionibus dilatorioris, negati vis & anomalis, §. X.</i>
<i>Prum iuramenti judiciale veniat nomine probationis, §. V.</i>	<i>Si processus sapiat naturam ordina rii processus, §. XI.</i>
<i>An hoc iuramentum admittatur in processu executivo, quod negatur §. VI.</i>	<i>Quid si probatio exceptionis sit in iuncta? §. XII.</i>
<i>Affirmativa defenditur, VII.</i>	<i>Admittitur suppletoriū §. XIII, & Purgatoriū, §. XIV.</i>
<i>Nen obtinet de iure Saxonico, hoc in</i>	<i>Conclusio, §. XV.</i>

§. ACCE.

§. I.

ACCEDEMVS vltimo, hoc capite, nunc ad tractationem iuramentorum, quae etiam certis in casibus, in pro-cessu executivo, locum habent. Iuramentum appellatur etiam religio L. 24. & 25. ff. de Iureiur. iusurandum, & sacramentum: & nulla est differentia inter has ambas voces, cum alterum pro altero non raro in iure visurpetur. BEVST de iureiur. rubr. n. 29. a iureiurando deriuatur, & habet tres co-mates, nempe veritatem, vt quis certe sciat, se non falso*rum* iurare, secundo judicium, vt intelligat, quid sit iuramentum, tertio iustitiam, vt iurans iusta & licita, iuret. BEVST. d. 1. n. 5. & 6.

§. II.

IVRAMENTVM definitur, quod sit deliberata, numinis di-
uini, tanquam vindicis ac testis, invocatio in assertio-
nis confirmationem. Dn. Thomasius Iurispr. div. lib. 2.
cap. 8. §. 6. & dispescitur in confirmatorium, promissoriū,
& decisorium. vid. HOPP. in Com. ad Ins. ad §. 11. de actione.

§. III.

DECISORIVM, de quo sermo hic erit, est iuxta allegat.
HOPPIVM, quod super rebus controuersis decidendis interponitur, vel indirecte, quod concernit saltem adminicula, vt iuramentum calumniae &c. vel directe vt iuramentum litis decisorum, quod triplex est Voluntarium, iudiciale & necessarium, de quibus duobus vltimis iuramenti speciebus, in praesenti acturisimus.

§. IV.

IUDICIALE iusurandum nominamus, quod Judice comprobante, a parte parti in iudicio, in causis controuersis, directo litis deciduae gratia desertur. L. 12. pr. & §. 1. C. de reb. credit. & in hoc a necessario differt, quod indice comprobante, pars parti desert iudiciale, in necessario vero

F

Iudex

Necessario.

Iudiciale
prost!Differe
Necessario.Decisorium Ju-
niorumEst
vel Voluntarium, Ju-
niorum, et Merita
ritum.Iudiciale
prost!Differe
Necessario.

635
Iuramentum
Suppletorium qd.

Supple-
torium

Purgatorium.

§ 42 (58)

Iudex ipse desert, siue pars id pessirit, siue non, & quandoque inuito iniungitur. NAEVIVS de iuram. c. 12. §. 1. necessarium vero describitur, quod Index, inopia, plena probationis, desert; & dispeicitur in Suppletorium, & purgatorium. suppletorium iuramentum, vel iuramentum in supplementum der Erfüllungs-Eyd, est definitio B. Dn. STRYCK. in caut. iuram. p. 1. s. 3. c. 6. n. 2. seqq. tale iuramentum, quod Iudex vel motu proprio, vel etiam ad instantiam partis semiplenam probationem habentis, decernit, ipsique probanti imponit, ut per hoc ipsum iuramentum praeslitum, plena euadat probatio, causaque dubia decidatur. Purgatorium autem describitur a NAEVIO in Tract. de iuram. p. 3. c. 10. §. 2. quod sit remedium iuris subsidiarium, quo reus conuentus, indiciis & suspicionibus graviatus; ab eis, Iudice id exigente, se iurato, purgare tenetur: ex hac autem causa appellat NAEVIVS purgatorium remedium subsidiarium, quoniam minime obtinet, si res Iudici aliter doceri potest, quam opinionem etiam probat per ius canonicum. Cap. vlt. X. de purgat. canon.

§. V.

QVAERITVR autem: an sub nomine probationis veniat delatio iuramenti? Negatiuam amplectitur VVESENBE- CIUS Consil. 36. n. 37. dicens: quando lex vel statutum requirit probationem, hoc accipiendum est, de probatione legitima, regulari & ordinaria, quea sit per testes & instrumenta, non vero per iuramentum, quod non probatio, sed probationis relevatio esse debet. L.30.in.pr. ff. de iure iur. addatur BERGERVS in Elecl. proc. exec. §. 4. qui docet: probatio ne ordinaria Beweis vel demonstratione Bescheinigung, Breybringung & utraque per sententiam, dictitata, iusiusrandum, non contineri. Alibi vero, iuramenti delatio, refertur, inter probationis species. MEV. p. 4. dec. 6. PACIAN. de probat.

bat. p. 1. c. 1. n. 17. SCHVLTES. obs. 82. n. 17. quod etiam a DOCTORIBVS citatis allegata lex 25. §. 3. ff. de probat. comprobat, vbi ICTus ait: *in omnibus visionibus, quas proposuimus, licentia, concedenda est, ei, cui onus probandi incumbit, aduersario suo, de rei veritate, iuramentum, deferre. hinc, iure communis, actor, cui per Sententiam, probatio iniuncta est, iuramentum judiciale, omnino deferre potest.* STRYCK. *introd. ad proc. cap. 20.* MEV. *cit. loc.*

§. VI.

DELATIO autem iuramenti, an locum habeat in processu executiuo, & an sit admittenda? acriter, inter se pugnant DOCTORES, vid. MARTINI *ad O.P. S. tit. 39. §. 3.* STRYCK. *in caus. iurament. p. 2. sect. 2. n. 219. seqq.* Negantes his mouent rationibus: quod 1) iuramentum sit species ordinariae probationis, in processu executiuo, non locum habentis, 2) Quod per iuramentum, non possit, in continentis probari, cum absque praevia sententia interlocutoria, nemo, ad iuramentum, admittatur. CARPZOV. *lib. 3. Resp. 52. n. 1. 15* in *Proc. tit. 22. art. 4. n. 18. & seqq.* 3) quoniam, ut putant nonnulli, in processu executiuo non permissum sit Aduersario, exceptionem non numeratae pecuniae opponere, hinc etiam non possit deferri iuriurandum & aequitatis ratio minime admittat: in continentis per documenta probantem, iuramento gravare; in primis, cum 4) illi non sit locus, vbi sine processu ordinario, extra judicialiter, peritur executio eius, quod liquidum est. Tandem 5) vigent, modum probandarum exceptionum, dependere, a lege positiva, iurisiurandi delationem autem aduersam esse legis dispositioni speciali, & quamquam probatio, vel relauatio, ab onere probandi, per iuramentum, possit in continentis absolui, minime tamen, ob impossibilitatem legalem, cui insipul moralis inest necessitas, esse concedendum. vid. SVENDEND. *ad Fibig. p.m. 155. n. 558.*

§. VII.

Qui autem affirmatiuam amant, haec argumenta, pro confirmando sua opinione, struunt: 1) iuramenti dilationem, habere locum in causis pecuniariis, summarisi, imo, in omnibus actionibus, nisi expresse excipiatur, per consequens, iuramentum iudiciale, in hoc processu executiuo, non posse excludi, & falsum esse: quod species ordinariae probationis contra documentum garentigiatum, ex eoque institutam executionem, non obtineat. nam apocham & confessionem, esse ordinariae probationis species, quae tamen admittuntur in processu executiuo. Porro 2) iuris esse notissimi, quod ubi transactio locum habet, ibi etiam iurisurandi delatio admittatur. At vero, in processu executiuo, non excluditur transactio, ergo nec iuramenti delatio, quae species transactionis audit. 3) negari nequit, illud dici in continenti fieri quod intra terminum executioni praefixum, expediri potest: atque iusiurandum delatum & relatum, omnino tali temporis spacio praestari potest, quid ergo impedit, hanc probationem, in continenti liquidam & certam dicere. Quod vero 4) iurisurandi delatio locum non habeat, quoad exceptionem non numeratae pecuniae post biennium, de quo Imperatori, est sermo in L.14. §.3. C. de num. pec. inde provenit: quia elapsio biennio tollitur exceptio, hinc etiam ob deficientem effectum, cessat iuramenti delatio. 5) aequitatis ratio syadere videtur, vt tunc potissimum, super exceptione, admittatur iurisurandi delatio, ad effectum, vt fiat in continenti liquida, quoties per eam non impugnatur documentum productum aut excluditur penitus intentio actoris. Plura vide apud MARTINI. ad O. P. S. tit. 39. §. 3. n. 80. segg. STRYCK. in caut. iuram. part. sect. 2. n. 337. Ex quibus illad tandem conicitur, delationem iuramenti in processu executiuo habere locum, nisi per expressam legis dispositionem, ea excludatur.

§. VIII. HAC

S. VIII.

HAC ratione, secundum Ius Saxonum Electorale, iuramenti delatio, in processu executivo, non conceditur, *Conf. Elect. 8. p. 1. vers. sedoch das dieselbigen Ord. Polit. Elect. Sax. de 1612. tit. von Justitiis-Sachsen n. 19. resolut. grav. Ioh. Geor. II. tit. von Justitiis-Sachsen.* consonans quoque ac expressa lex, eam in rem legitur, in ordinatione processus Gothana p. 2. c. 1. §. 7. doch kan kein Beklagter, gegen welchen auf klahren Brief und Siegel geflaget wird, sein dagegen geschehenes Einwenden, als das er gezahlet habe, oder Kläger ihm hingegen auch schuldig sey, demselben ins Gewissen/Bewußt oder Wissenschaft schreiben, &c. Hinc si Reus, contra documenta guarentigata, exceptiones opponat, & de super iuramentum judiciale desert, non auditur, nec admittitur talis delatio, sed exceptiones, ut illiquidae & altioris imaginis, reiciuntur ad reconuentem, prout allegata ordinatio processus Gothana, dicto loco sanciuit: Oder wegen vergleichene Einrede eine Wiederklage anstellen, &c. quod etiam essatum commune est DOCTORVM Iuris Saxonici Interpretum. FRANZK. lib. 2. Resol. 14. n. 30. BERLICH. p. 1. concl. 84. n. 84. SVENDEND. ad Fibig. pag. m. 1389. CARPOZOV. in proc. tit. 22. art. 4. n. 18. seqq. Quin & in processu executivo iurisiurandi delatio, nequidem, extra Saxoniam obtinet, nisi, vbi hoc in specie permisum: ut in Ducatu Magdeburgico. Dn. VVERNHER. p. 1. obf. 36. Sed quia nulla datur regula sine exceptione, ita etiam hac in parte reperiuntur limitationes, quas colligere nunc e re est.

S. IX.

Quod enim §. 11. cap. 3. dixi & probavi, arbitrium iudicis prudentis, quoad probationes, in processu executivo, non penitus exclusum esse, hue applicari meretur; nam sicut Ius

dex, si reperiatur iusta & vrgens causa, potest concedere probationem per testes, hoc in casu, CARPZ. *in proc. tit. 22. art. ult. n. 36. seqq.* ita ex paritate rationis, etiam delatio iuramenti, concedi potest, quia etiam species ordinariae probationis, contra documentum guarentigiatum ac institutam executionem, valide opponuntur; quorsum spectat apocha & confessio judicialis, quae vt ut species ordinariae probationis a DOCTORIBVS appellantur. STRYCK. *in caut. iurament. p. 2. sect. 2. n. 339.* MASCARD. *de probat. concl. 344. n. 1.* CARPZ. *in proc. tit. 13. art. 3. n. 3.* attamen in processu etiam executione admittuntur. Gothaische Proc. Ordin. p. 2. c. 2. §. 1. Ord. Polit. Saxon. de 1612. tit. von Institutionen Sachen, n. 19. Dec. Elec. Job. Georg. II. Sax. 2. vers. so in continent. resolut. grav. de 1661. tit. von Institutionen Sachen, §. 4. CARPZ. p. 1. const. 32. def. 64. Inferunt hinc etiam delationem iurisiurandi judicialis, quod inter species ordinariae probationis, vel releuationis ab onere probandi, refertur. MATTH. COLER. *de proc. exec. p. 4. c. 2. n. 23.* ZANGER. *de except. p. 3. c. 26. n. 115.* ANDR. RAVCHBAR. p. 1. q. 11. n. 25. quandoque esse admittendam, nam Index, ordinariam probationem, in demonstrationem potest ex iusta causa commutare. CARPZ. lib. 3. Resp. 75. n. 2. Itaque ex eadem potestate & iisdem rationibus, iuris delationem iuramenti judicialis, concedere potest, quia aliquando non minus expedita est, quam probatio per documenta, & pariter intra terminum Saxonicum expediri potest. MARTINI ad O.P.S. tit. 39. §. 3. n. 89. STRYCK. *in caut. iuram. d. l. n. 330.* Quo refertur: quando Reus est miserabilis persona; item, si in continent demonstretur, quod documenta vel ab hostiis sint oblata, vel igne combusa, quo in casu tam respectu Creditoris quam Debitoris iuramenti delatio admittitur. MARTINI. d. l. 29. §. 3. n. 92. CARPZOV. Lib. 5. Resp. 104.

§. X. SE-

§. X.

SECUNDVS casus, vbi iuramenti delatio, secundum op̄ionem & obseruantiam, certorum Collegiorum, in processu executiō, obtinet, est, in exceptionibus dilatoriis. SVENDEND. ad Fibig. p. m. 373. & 376. quo actori probatio, quae proprium est exceptionum dilatoriarum, Reo vero reprobatio per documenta, testes vel iuramenti delationem, est indulgenda: quia non ingrediuntur substantiam processus executiū. SVENDEND. dict. loc. VVERNHER. p. t. obs. 149. n. 3. BARTH. in diff̄. de comminat. subpoena. confessi. c. t. §. 4. BERGER. in Elect. proc. exec. §. 36. & 44. huc referunt exceptiones negatiūas & anomalas, quae merita causae cōcernunt, & ante litem contestatam & recognitionem, opponi possunt, licet, in continentī non sint liquidae, admittuntur etiam post recognitionem & litis contestationem. STRYCK. introd. ad prax. cap. 9. §. 3. ac onus probandi, in aduersariū transferunt, vt sunt: exceptio deficiētis legitimatiōnis ad causam, non aditae & immixtae haereditatis, deficiētis existentiae conditionis, vel aduentus diei incerti, in instrumento adiecti, non adimpletei contractus, non numeratae pecuniae, excusionis, SCti Macedoniani &c. Dn. GRIEBNER. in Proc. L. i. c. 2. f. f. S. t. lit. b. SVENDEND. ad Fibig. p. 356. dicuntur etiam litis ingressum impedientes, cum tamē per se & sua natura, non peremptoriae, sed dilatoriae, ipsam actionem respicientes, reperiantur exceptiones, ius aduersarii non in totum, sed in tantum excludeentes, quod quoad exceptionēm non adimpletei contractus, per probationem sequi implementi, potest euitari. CARPZ. lib. 2. Resp. 88. n. 1. SVENDEND. ad Fibig. p. 356. & 380. n. 199. nam ea deficiente, cum effectu, ex parte agentis, ad praeſtandum id, de quo conventum, etiam in processu executiō & cambiali, agi nequit, sed obstat semper exceptio, non secuti implementi. L. IVLIA-

NVS

NVS 13. §. 8. ff. de act. empt. DORNSBERGER. Synt. Iur. L. 2.
p. 2. c. 34. Dn. VVERNHER. p. 1. obs. 149. BERGER. elec^{t.}
proc. execut. §. 30. & 34. hinc, hac exceptione opposita, causa prin-
cipalis executiua, suspenditur, contra Reum, probatio & re-
probatio quoad causam minus principalem, decernitur & ius-
jurandum, deferri potest. Dn. VVERNHER. d. l. SVEN-
DEND. ad Fibig. pag. 373. & 374. BERGER. in elec^{t.}. proc. ex-
ecut. §. 26. & 44. quod autem iuris est in exceptione, quoad
implementum fecutum, hoc etiam obtinet in reliquis exce-
ptionibus negatiuis. CARPZ. lib. 3. Resp. 63. SVENDEND.
VVERNHER. & BERGER. cit. loc.

§. XI.

TERTIVS casus est, si processus executiuss sapiat natu-
ram ordinarii, tunc admissa probatione, reprobatio est con-
cedenda, aut super exceptionibus a Reo oppositis, recte ius-
jurandum iudiciale defertur. BERLICH. p. 1. concl. 30. n. 62. §.
63. NICOLAI in proc. p. 1. c. 38. quod fit: si actor consen-
tiente Reo, solennem litis contestationem exigat, vel vna cum
instrumento exhibeat libellum, super certis quibusdam causis,
quae ex instrumento, in continent, minime demonstrari que-
unt, ybi litis contestatio solennis, & ita etiam ante eam de-
lato iuramenti conceditur. Plura hac de re vide cap. 3. §. 12.

§. XII.

CONCEDVNT quidam DOCTORVM quinto, etiam Reo,
iurisiurandi delationem, si probatio exceptionis sua, per sen-
tentiam, fuerit iniuncta, & haec vires rei iudicatae acquisue-
rit. Consult. confit. Sax. tom. 3. part. 3. quaest. 93. n. 1. quod
etiam de iure communii certum est. MEV. p. 4. dec 6. STRYCK.
introd. ad prax. cap. 10. quoniam nomine probationis, etiam
iuramenti delationem venire, statuunt DOCTORES; prout
supra

supra §.5. monstrauimus, & asserunt hoc etiam Doctores magni nominis secundum obseruantiam Saxonie vigente, affirmantes: Reum, qui litem negatiue contestatus est, super articulis reprobatorialibus, iusjurandum, deferre posse, etiam si in sententia, delatio, ipsi non sit reseruata, quod tamen non ita se habet, quoad reum, litem affirmatiue contestantem, MENCHKEN. ad proc. disp. 6. tit. 19. §. 4. RIVINVS. tit. 21. enunc. 33. & hoc procedere statuit, tantummodo, tali in casu, qui etiam usu fori & opinione Doctorum inualuit, GEORG BAYER ad ff. tit. de probat. pos. 7. lit. b. si probatio a lege vel statuto sit iniuncta, secus si ab homine, Iudice scilicet, vel paciente, vbi delatio iuramenti, excludatur. Sed licet sub nomine probatioris contineatur delatio iuramenti, nihilominus tamen, hanc rem, in hoc processu executiuo mixto, alii aliter euenire intelligunt, nam verbum probatio, secundum substratam materiam & naturam processus executiuui est interpretanda, hinc, hic neque delatio iuramenti, neque probatio per testes, sed solummodo nuda demonstratio per documenta, regulariter intelligitur, BERGER. Oecon. iur. lib. 4. tit. 25. §. 7. pag. 110. Et in Elec*t.* di-scept. for. tit. 19. O. 2. pag. 607. ZANGER. de except. p. 2. c. 21. n. 74. Jqq.

§. 13.

SEXTO admittitur iuramentum necessarium, nempe suppletorium, in processu executiuo, quia ab officio Iudicis dependet, & in omnibus causis tam ordinariis, quam summarisiis, locum habet. NAEVIVS de iurament. cap. II. part. 3. §. 1. L. 3. §. 1. ff. de iure iur. leges enim, Doctorum opiniones, ordinatio processus Gothana, reliquaeque Electoris Saxoniae sanctiones, paragraphe octava allegatae, hoc non excludunt, sed loquuntur tantummodo de iuramento judiciali, quod a parte parti defer-

G

tur

CHOTO

tur non vero de hoc casu, vbi Iudex necessarium iuramentum concedit, ac hoc assero ex paritate rationis, nam in causis matrimonialibus, non permittitur iurisiurandi delatio, quoniam habetur pro specie transactionis, vbi minime transigi potest, ita deficiente potestate transactionis, deficit etiam delatio iurisiurandi judicialis, NAEVIVS dict. loc. cap. 12. §. 13. his tamen non obstantibus, compertum & exploratum habemus, suppletorium, in his causis concedi, CARPZ. lib. 3. def. Consil. 46. BESOLD. Conf. Tubing. 140. n. 16. in primis, cum in causis executivis potestas transigendi nullibi legitur ademta; hinc inclytum ICtorum Helmstediensium Collegium, in causa quadam executiva, vbi in processu executivo, ab auctore, contra apocham a reo productam, exceptio falsi erat opposita, qui hanc per prae sumptiones demonstrare operam dabant, ita pronuntiavit: *Dass Beklagter zu schweren schuldig, daß er die in der Quittung enthaltene Gelder völlig bezahlet ic.* inclytus quoque Jenensium Ordo, non ita pridem, tali in casu executio pronunciauit, prout apparebat ex rationibus decidendi, Sententiae annexis: *Dieweil aber dennoch, wenn schon der Erfüllungs Eyd in Summarischen, und folgbar executiuprocessu statt hat, so viel vorhanden seyn muß, als zu der gleichen Eyde von nöthen, ic.* hoc etiam procedere in negotiis difficilis probationis, vbi testes & instrumenta deficiunt, æquitatis ratio suaderet; Exemplum est in expensis funeris, que verosimiliter sunit probandæ, hæc autem, plena deficiente, Suppletorium decernitur. MULLER. ad Struu. S. I. C. exerc. 15. tb. 88. lit. T. CARPZ. p. c. 28. d. 46. n. 5. seqq. MARTINI ad O. P. S. tit. 42. §. 6. n. 24. seqq. BERLICH. p. 1. concl. 64. n. 92. §. 93.

§. XIV.

Ex antea deductis rationibus & argumentis ita Septimo,
prono

prono alueo sequitur, quod etiam iuriurandum purgatorium,
 hoc in processu executiō, p̄epr̄mis in casu suspicionis falsi,
 obtineat, & quidem: quia etiam in causis summarīs & civili-
 bus, talis iuris iuriurandi delatio, a Iudice, non prohibita legitur.
MARTINI ad 9. P. S. tit. 32. n. 25. **Goth.** Pr. Ord. p. 1. c. 12. n. 2.
 Ord. proc. Elec̄t. Sax. tit. 32. **NAEV.** de iurament. p. 3. c. 11. §. 11.
 hinc existentibus certis & propriis, parti producenti, ante quam
 recognitio instrumenti a parte aduersa perficitur, purgatorium
 imponitur. **FRIDERICI** in nucl. p. 20. c. 53. §. 10. & ante
 aliquot annos, ab inclita Francofurtensi Facultate Iuridica, ita
 pronnnciatum est! **Würde Kläger vermittelst cörperlichen**
Eydes erhalten: daß die contenta der Obligation sub A. von
 Wort zu Wort mit guten Vorwissen und Willen weiland
 VV. des Beklagtens verstorbenen Vatters ge- und unter-
 schrieben, so ist Beklagter, die Obligation, nach ihren conten-
 tis, zu recognosciren verbunden ic. quam Sententiam fecu-
 tus est inclitus ICtorum Ienensis ordo. **LYNCKER.** decis.
Ienensis 304. Dura quidem videtur ex rationibus §. 6. allegatis
 haec sententia 1) quia purgatorium etiam habetur à quibusdam
 Doctoribus pro specie ordinariae probationis, per quam 2) pro-
 batio in continenti fieri nequit, praesertim cum purgatoriū
 correlatum est, euitare hoc, per probationem innocentiae.
BERLICH. p. 1. concl. 52. n. 39. **RICHTER.** Vol. 1. decis. 8. n. 96. &
 97. ita 3) res est altioris indaginis & 4) contra leges vbi pre-
 sumptiones in processu executiō non admittuntur, & requiri-
 tur 5) plena, nec sufficit minus semiplena probatio, prout
 hoc in casu reperitur; Sed nihilominus ex deductis rationi-
 bus & Sententiis patet, hunc pronuntiandi modum, yfi Iudi-
 ciorum, ex ista causa, inualuisse. **Quo** in casu etiam, in pro-
 cessu executiō, arbitrium iudicis, non penitus exclusum legi-
 tur. **CARPZOV.** in proc. tit. 22. art. ult. n. 37.


§. XV.

HAEC itaque sunt, quae de hac materia loco speciminis inauguralis in medium proferre volui. Fateor longe plura adduci, eaque quæ prolata sunt vberius exponi potuisse. Sed plura addere instituti ratio non permittit, & potius imponere colophonem huic labori iubet, suadetque, vt a lectore benevolo petam, omnia in meliorem partem vt vertat. DEO TER OPTIMO MAXIMO sit pro viribus concessis laus & perennis gloria. Memento mei porro pro bonitate tua, Ioua.

F I N I S.

CORRIGENDA.

pag. 3. lin. 3. legatur L.XVI. pro XIV. it. p. 10. lin. 12. pro *posse* legatur *posse*. it. p. 11. lin. 9. pro *Naeuii* ponatur *Maenii*. Hasc, aliaque irreptas, sparsim errata ut LECTOR BENEVOLVS hanc grauitatim corrigat, & nihil ex omni parte perfectum esse cogitet, est quod a benignitate, eius oramus.



6078

Jena, Diss., 1723

ULB Halle
006 623 158

3





DE
PROBATIONE
 PER TESTES ET PRAESVM-
 TIONES ITEMQVE IVRAMENTO
 IVDICIALI ET NECESSARIO IN PRO-
 CESSV EXECVTIVQ LOCVM
 HABENTE
 AVSPICE TRIVNO
 RECTOR MAGNIFICENTISSIMO
 SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DN. VVILHELMO HENRICO
 DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE AC MONTIVM
 ANGARIAE WESTPHALIAEQVE CETERA
 ILLVSTRIS IVRIDICI ORDINIS CONSENSV
 DV CTV
DN. IO. CHRISTIANI SCHROETERI
 IN ACADEMIA IENENSI ANTECESSORIS ATQVE CVRIAEC PROVIN-
 CIALIS FACULTATIS IVRIDICAE ET SCABINATVS
 ADSESSORIS GRAVISSIMI
 PATRONI SVMME COLENDI
PRO LICENTIA
 SVMMSOS IN IVRE HONORES OBTINENDI
 IN AUDITORIO IVRIDICO
 PVBLICE DISPVTABIT
VVILHELMVS RVDOLPHVS SCHVLTHES
 AVCTOR ET RESPONDENS.

AD DIEM III. NOVEMBRIS MDCCXXIII HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVENTIS.
 IENAE LITTERIS VVERtherianis.